UH90
V151

Library of the
Church Divinity School
of the Pacific

No. 31381 Class UH90 W151
Ex Dono Purchase
Date 1957

UH90
W151

31381

Library of the
Church Divinity School
of the Pacific

Joseph [illegible]

WALAFRIDI STRABONIS

LIBER

DE EXORDIIS ET INCREMENTIS QUARUNDAM IN OBSERVATIONIBUS ECCLESIASTICIS RERUM.

WALAFRIDI STRABONIS

LIBER

DE EXORDIIS ET INCREMENTIS

QUARUNDAM IN OBSERVATIONIBUS

ECCLESIASTICIS RERUM

TEXTUM RECENSUIT
ADNOTATIONIBUS HISTORICIS ET EXEGETICIS ILLUSTRAVIT
INTRODUCTIONEM ET INDICEM ADDIDIT

DR. ALOISIUS KNOEPFLER,
SS. THEOLOGIAE IN UNIVERSITATE MONACENSI PROF. P. O.

CHURCH DIVINITY SCHOOL of the PACIFIC LIBRARY
Joseph Eichenberger

MONACHII
SUMPTIBUS E. STAHL SEN. (JULIUS STAHL)
MDCCCXC.

QH90
W151

AMICO MEO CARISSIMO

PAUL KEPPLER

DOCTORI SS. THEOLOGIAE ET PROFESSORI P. O.
IN UNIVERSITATE TUBINGENSI.

31381

Introductio.

Walafridi Strabonis, viri doctissimi, operibus, quae eum permulta conscripsisse constat, eos qui in perscrutandis rebus et ecclesiasticis et saecularibus, quales cum aliis in terris tum in Germania seculo p. Chr. n. nono fuerunt, versantes interiorem expetunt cognitionem, maximopere iuvari haud scio an quisquam hodie negaverit. Fieri igitur non potuit, quin illorum operum textus qui vocatur genuinus desideraretur isque diligentiore, quam adhuc adhibita erat cura, ad optimorum et vetustissimorum codicum fidem evulgaretur. Nova et emendata horum operum editio ut pararetur, primus feliciter curam adhibuit Ernestus Dümmler, qui Walafridi carmina in Monumentis Germaniae (poetae latini II, Berolini 1884, pag. 264—473) edidit.

Inter opera Walafridi Strabonis haud ultimum locum tenet opusculum valde concisum, quod inscribitur: ‚De exordiis et incrementis quarundam in observationibus ecclesiasticis rerum', quod legisse maximam eruditorum hominum partem non poeniteat; non enim eos tantum respicio, qui studio theologiae ex officio peculiarem operam navant, sed omnes potius clericos. Habet enim hic libellus magna et egregia documenta, quibus ecclesiastica doctrina vivendique ratio, qualis insigni illa aetate, initio scilicet seculi IX. vigebat, non mediocriter illustratur et illuminatur. Et quoniam hic libellus tanti momenti idemque tam accurate atque concinne compositus est, mihi praeter ceteros videbatur

idoneus, qui ansam praeberet ad exercitia historica vel liturgica in seminariis tractanda. Plures autem ut cognitionem huius operis sibi pararent, adhuc fieri non poterat, quoniam textus non nisi in aliquot iisque plurimis inaccessis collectionibus prostabat; ille insuper incuria librariorum ab omnibus editionibus in tam vitiosa forma exhibetur, ut nullum caput non omni mendorum genere scateat et praeterea falsa interpunctione, qua sententiae pervertuntur, saepissime intellectu careat. His omnibus perpensis editio nova huius insignis libelli eaque castigatior et ad usum faciliorem accomodata ut in publicum ederetur, causa satis iusta mihi adesse videbatur, qua de causa ad editionem novam faciendam accessi. In recensendo vero libello fundamentum mihi praebuit codex optimus atque pervetustus, qui textum genuinum fere integrum continet, St. Gallensem dico, numero 446 insignitum (fol. 213—303). Conscriptus est ille sub finem sec. IX vel initio sec. X et dilligentissime exaratus[1]; quem ita ducem adhibui, ut semper paucis tantum exceptis locis, qui manifestis mendis inquinati sunt, lectiones eius contra reliquas recensiones reciperem. Duos insuper codices Monacenses mihi conferre licuit, quorum alter in 4⁰ no. 14581 cod. lat. insignitus (M) sec. XI exaratus est et (fol. 65 sqq.) nonnulla tantum capita, scilicet cap. 21—25 et 28—30, exhibet; alter vero (M^1) cod. lat. Monac. 17184 in 4⁰ insignitus sec. XII conscriptus, totum quidem libellum continet (fol. 1—72), si lacunam non exiguam excipis (cfr. infra pag. 41—52), sed propter incuriam indocti librarii potius quam propter lectiones probabiles memoratu dignus esse videtur. Praeter hos modo nominatos codices pauci alii noti sunt nostrum libellum exhibentes, scilicet: cod. *Vienn.* 944 sec. X; cod. *Asburnham.*

---

[1] Cfr. *Scherrer Gust.*, Verzeichniss der HSS. der Stiftsbiblioth. von St. Gallen. Halle 1875, p. 146.

246 sec. X et cod. *Bamberg.* A. II, 53 sec. X, eclogas de ecclesiasticis officiis continens, scil. fragmenta Amalarii, Theodulfi, Hattonis, *Walafridi*, Augustini et Athanasii.

Editiones prelo iam vulgatas, quamvis in textus constitutione nullius fere sint momenti, non praetermittendas esse censui, scilicet: *Cochlaei Ioannis*, Speculum antiquae devotionis. Moguntiae, 1549, p. 63—116; *Hittorpii Melch.* De divinis catholicae ecclesiae officiis etc. Parisiis, 1610. t. I. p. 661—696; *Bibliothecae Maximae* vett. patr. Lugduni, 1677. t. XV, p. 181—199. *Mignei*, I. P. Patrologiae curs. compl. ser. lat. t. 114. Parisiis, 1879. p. 919—966.

Walafridi Strabonis hic libellus quo tempore sit conscriptus, labore haud ita magno potest explorari ac satis accurate circumscribi. Ut enim ex prologo et praefatione apparet, Walafridus impulsu Reginberti sui quondam magistri, qui d. VI. Mart. a. 846 mortuus est, libellum composuit. Quo vero tempore in conficiendo libello versabatur, Ludovicum cognomine Pium iam e vita migrasse inde potest conici, quod in cap. VIII (cfr. infra pag. 22) de *temporibus bonae memoriae Ludovici imperatoris* loquitur. Quia ergo Ludovicus d. 20. Iunii a. 840[1] obiit, non est dubium, quin libellus post 20. Iun. a. 840 et ante 6. Mart. 846 sit conscriptus. Ceterum melius et accuratius quo tempore sit compositus dicere possumus. Nam ut ex prologo et praefatione perspicuum est, auctor tenebat tum inferiorem simplicis monachi locum necdum ad amplissimam abbatis dignitatem Augiae divitis evectus erat, — hanc autem dignitatem iterum adeptus est a. 842. Conscripsit ergo hoc opusculum inter a. 840 et 842: anno 841 p. Chr. n. conscriptum si contendo, non valde errasse mihi videor.

---

[1] Cfr. Ratpertus cas. s. Galli M. G. SS. II, p. 67. Migne s. l. t. 126. pag. 1067.

De libello ipso postquam breviter haec exposuimus, de auctoris vita et operibus addere quaedam liceat.

Walafridus [1], cognomine Strabus seu Strabo [2], natus est circa annum 808 [3] ex humili, id est non nobili familia [4], in terra alamannica.[5] Iam prima aetate ut litteris imbueretur scholam adiit monasterii augiensis id temporis celeberrimi, et vix quindecim annos natus addictus est regulae s. Benedicti in eodem monasterio regnante adhuc Hattone abbate (806—823). Hic diligenter instructus est Walafridus ab Erlebaldo, Wettino, Tattone et Grimoaldo magistris [6], tam

---

[1] Plures codices iique antiquiores utuntur forma Walahfridus et Walahfredus; noster autem codex SG. n. 446 exhibet Walafridum. Walah ahd = peregrinus; frîdu = pax. Aptius autem adhibeas fortasse altn. frîd = mansuetus, formosus. Cfr. Förstemann, althd. Namenbuch I. S. 421 et 1229. — [2]

Edidit haec Strabus, parvissima portio fratrum,
Augia quos vestris insula alit precibus.
Strabonem quamquam dicendum regula clamet,
Strabum me ipse volo dicere, Strabus ero.

Ad Grimualdum magist. Migne t. 114, p. 1095. — [3] Epitaphium Walafridi exhibet hunc versum:

Lustra tui fuerant non plus quam temporis octo,
Quando immatura mors animam expulerat.

M. G. poet. lat. II, p. 423. Obiit autem W. 18. Aug. 849. In prooemio carminis „Visio Wettini“ inscripti Walafridus ipse affirmat, se illud componere „qui pene octavum decimum iam annum transegi.“ Migne l. c. p. 1064, M. G. p. l. II, p. 303. Illud autem poema non ante annum 826 compositum esse, demonstrat *Ebert:* „Zu der Lebensgeschichte Walafrid Strabo's“, in Berichte über die Verhandlungen der kgl. sächs. Gesellschaft der WW. zu Leipzig. 30. Bd. 1878, 2. Abthl. S. 101. — [4] In carmine ad Conradum comitem auctor dicit de se ipso: „obscurus licet ingenio, natalibus.“ Migne l. c. p. 1100; M. G. p. l. II, p. 387. In carmine vero ad lectorem huius libelli dicit: „Walafridus pauper hebesque“ vide inf. p. 1. — [5] In prologo ad vitam b. Blaitmici laudat: „Strabus ego, misit quem terra alamannica natu.“ Migne l. c. p. 1043. M. G. p. l. II, p. 297. — [6] „Necesse enim est, ut *Erlebaldum* Dominum et *Tattonem* praeceptorem meum haec res non lateat.“ Prooem. Vis. Wett. Migne l. c. p. 1064; M. G. l. c. p. 302. „*Wettinus* erat celebri

in rebus divinis quam in artibus liberalibus. Graecae quoque linguae cum non mediocrem sibi paravisse scientiam cum ex aliis operibus tum ex hoc libello bene cognoveris: interpretans enim plura verba ex graeco derivat atque nonnullos locos, quos ex scriptura sacra profert ipse ex LXX versione latine vertisse putandus est.[1] Iam a puero carminibus quoque latinis condendis operam dabat et favente musa brevi usque eo processit, ut admodum adolescentulus plerosque huius aevi poetas superaret et vix anno decimo quinto peracto iam viris dignitate insignioribus versus mittere auderet, ut Ebboni, archiepiscopo remensi[2], Agobardo, lugdunensi episcopo celeberrimo[3] et Drogoni episcopo mettensi.[4] Anno aetatis 18 coactus, ut ipse refert, iussu Adalgisi presbyteri poemate celebravit visionem, quae Wettino monacho augiensi tertio ante obitum die anno 824 obtigerat quamque Walafridus ex ore Wettini, cui aegrotanti et moribundo adiutor astiterat fidelis, accurate exceperat

---

rumore magister, ... cui fortuna dedit scholis adnectier illis.“ Migne l. c. 1068. M. G. l. c. 306. Monachus Ermenricus in epistula sua ad *Grimoaldum* data dicit: „beatus Walahfredus tibi notissimus, quem etiam tu ipse ut peritus cathegeta peritum sophistam enutristi, et ut plus in domo dei praeventum super candelabrum elevasti.“ Cfr. Dümmler, St. Gallische Denkmale aus Karolingischer Zeit, in Mittheilungen der antiquar. Gesellschaft in Zürich XII, 6, p. 210. Walafridus ipse composuit carmen quoddam „ad Grimaldum magistrum.“ Migne, l. c. p. 1094.

[1] Cfr. infra pag. 19, 32, 34 e. a. Linguae graecae studium quomodo tunc in scholis cultum sit, cfr. notamina quaedam apud *Koenig*, „Ueber Walafrid Strabo von Reichenau“ in Freiburger Diöcesan-Archiv Bd. III, 1868, p. 380 sqq. Iudicium nimis rigidum de hac materia tulisse mihi videtur *Specht*, Dr. Fr. A., Geschichte des Unterrichtswesens in Deutschland von den ältesten Zeiten bis Mitte des 13. Jahrh. Stuttgart 1885, S. 104. — [2] Ebbo archiep. Rem. 816—836. M. G. l. c. II, p. 350; Migne l. c. p. 1108. — [3] Agobardus episc. lugdun. 816—840. M. G. p. 356; Migne l. c. 1112. — [4] Drogo, imperatoris Ludovici Pii frater, episc. Matt. 823—855. M. G. p. 353; Migne l. c. p. 1109.

et beatus Hatto iam doctissime digesserat „urbanae facundiae mellifluis floribus adornans prosaicis verbis.“ [1]

Paulo post Walafridus a superioribus suis in fuldense monasterium est missus eo certe consilio, ut cum omni litterarum genere melius instructus rediisset, ipse augiensem moderaretur scholam. Fuldae inter annos circiter 826 et 830 degens Rabani Mauri, doctoris celeberrimi, disciplina utebatur in perdiscendis praecipue litteris sacris, quod ipse aperte testatur in epitome Rabani in Leviticum commentariorum, ubi dicit: „Sequentis libri, id est Levitici brevissimam adnotationem ego Strabus tradente domino Rabano abbate, viro in multis scientiae divinae eloquiis spectabiliter adornato, quantum tenuitas ingenioli mei permittebat, abbreviare curavi.“ [2] Idem colligere licet ex inscriptione cuiusdam carminis „ad Rabanum Maurum, abbatem Fuldensem, magistrum suum“ dati.[3] Ut certum est, Walafridum aliquantum temporis Fuldae commoratum esse, ita incerta manent omnia de ipsa commoratione; at vero non ignoramus, eum commendatum fortasse et a magistro suo Rabano et ab Hilduino archicapellano [4], inde ad aulam imperialem esse arcessitum, ut artes liberales edoceret Carolum, filium imperatoris Ludovici Pii eiusque coniugis Iudithae, anno 823 natum. Ibi benigne exceptus et familiarissime habitus gratiam favoremque, quo imperator eiusque uxor eum amplexi sunt [5], ideo dignum se praebuit,

---

[1] Prooem. carminis „Visionis Wett.“ M. G. p. 302; Migne l. c. p. 1063. — [2] Migne, l. c. p. 795. Cfr. etiam Aretin, Beiträge VII. p. 518. — [3] Migne, l. c. p. 1112. — [4] Migne, l. c. p. 1098. Walafridus ipse dicit in carmine ad Iudith imperatricem: „quo nescio casu, servitio attrahere vestro“; et in alio ad Hiltuinum:

„Nil servivi, nil merui, tamen ecce repente
Immerito assumptus pauper, honore fruor.“

Migne, l. c. p. 1095 et 1098. — [5] Cfr. carmina varia ad imperatricem eiusque filium Carolum et alios data. Migne, l. c. p. 1093, 1095, 1096, 1097 e. a.

quod in omni rerum discrimine omnique fortuna semper quam religiosissime fidem servavit. Cum multis quoque aliis personis dignitate conspicuis per aulici convictus tempora familiariter conversatus est, e quorum numero nominandi sunt Drogo, frater imperatoris, imperatricis frater comes Conradus eiusque coniux Adelheidis, Agobardus lugdunensis archiepiscopus, episcopus Modoinus aliique clerici et proceres non pauci versantes in aula, quos cognovimus omnes ex carminibus a Walafrido ad illos datis.[1] Anno autem 838, quo Carolus eius alumnus gladio succinctus Neustriae regni gubernacula suscepit, Walafridus munere magistri perfunctus imperatoris gratia Augiensi monasterio abbas est praefectus cum Erlebaldus sponte regimine se abdicasset.[2] Magnum et insignem hunc locum ut diutius quiete teneret, ei non contigit. Exorta enim illa funesta de imperio contentione inter imperatorem eiusque filios cum Walafridus a partibus Ludovici imperatoris et post huius mortem inopinatam Lotharii staret[3], a Ludovico rege, qui Alamanniam infesto exercitu invasit[4], monasterio

---

[1] Cfr. Migne, l. c. p. 1089 sqq. — [2] „Erelebadus cessit et Walafrid constitutus est.“ Annal. Augien. ad ann. 838. M. G. SS. I, 68. Jaffé Monum. Mogunt. (Biblioth. rer. germ. t. III), p. 703. Duo insuper documenta ann. 839 (21. April. et 20. Jun.) exarata clare ostendunt, tunc temporis monasterii „Sindleozesauua“ appellati Walafridum fuisse venerabilem abbatem. Cfr. Dümgé, Regesta Badensia. Carlsruhe 1836, p. 68 et 69. — [3] Cfr. Ad Ludovicum imperatorem et ad Lotharium imper. Migne, l. c. p. 1096 et 1093. — [4] Quod refert Ratpertus in „casibus s. Galli“ (M. G. SS. II, p. 67; Migne s. l. t. 126. pag. 1067) idem haud inepte dici potest de monasterio augiensi mutatis tantum nominibus Bernwici et Engelberti in Walafridum et Rudhelmum. „Cum igitur, ut diximus, maxima pars populorum Hlotharium sequeretur, contigit et Bernwicum nostrum abbatem illius partis fuisse adminiculatorem. Nec minus interea Hlodovicus Alamanniam penetrans singula loca suae suorumque dicioni subiecit; indeque abbatem in nostro monasterio constituit Engelbertum, monachum nostrum. Qua re contigit, ut sicut regna, ita et monasteria diversis erroribus atque laboribus quaterentur.“

pulsus celeri fuga ad Rhenum se contulit, Lotharii praesidio confidens; at hic a fratribus iunioribus devictus (in praelio prope Antissiodorum d. 25. Juni 841) hominis curam agere non potuit. Quare exilio latens et summis angustiis circumventus, a Rabano calceamenta petiit et his elegicis versibus eum affatus est:

„Sed licet innumeri pulsent mea pectora questus,
Plus tamen impugnat, quod nudipedalia cogar
Ecce pati.“ [1]

Hos versus qui diligenter legerit, non in dubium vocabit, quin Walafridus scribens illos vi coactus in exilio degerit; quod vero eum postquam Fuldam reliquit sua sponte in solitudinem se contulisse quidam contendunt, adeo non id potest affirmari, ut monacho ne potestas huius rei fuerit. Nam absolutis Fuldae litterarum studiis non nisi superiorum venia aliud munus suscipere poterat Walafridus; sin aliter ei in monasterium directa via redeundum erat: etenim temere egregium hunc virum referre in numerum hominum illorum non ita insignium, qui monachi vagabundi seu vagantes appellantur quis audeat? Et Ludovicum monacho vagabundo filium tradidisse educandum quis cogitet? Id certe longe verisimilius est, imperatori cum quaereret cui grave munus filii educandi committeret, commendatum esse Walafridum, virum ingeniosum optimarumque rerum studio flagrantem.

Paulo post pugnam illam, quam male factam Lothario supra diximus, Walafridus cum Ludovico rege gratiam initurus deprecatore Grimoaldo archicapellano ab illo benigne receptus et in regimen Augiae divitis restitutus est a. 842. Ex tempore secundae huius administrationis fere nihil certi nobis est traditum [2]; elapsis vero septem vix annis in le-

[1] Migne, l. c. p. 1113. — [2] Unum tantum documentum huius administrationis idque pondere non carens nobis asservatum est, quod abbatem villicum monasterii sui haud iniquum fuisse probat, quapropter illud appendici adnectendum esse censui (append. n. III infra pag. 106).

gatione iussu Ludovici Alamannici ad Carolum regem, suum quondam discipulum suscepta, trans Ligerim vix quadragenarius inopinata morte obiit XV. Kal. Septemb. a. 849[1]; Augiae vero traditus est sepulturae.

Memorabile mihi videtur adferre quod Joh. Egon, qui ab anno 1626—1643 monasterii augiensis prioris munere fungebatur, acerrimus laudator nostri Walafridi, de eius vita narrat; quapropter parvam hanc vitam appendici adiunxi (n. IV infra pag. 109). Quae vero Trithemius[2] et eum excipiens Goldast[3] aliique de auctore nostro produnt, partim plane falsa, partim vix aliquo momento esse videntur.

Walafridus quamquam ad aetatem virilem vix pervenerit, multa tamen ingenii sui atque industriae documenta reliquit excellentiora.[4] Longe plurima eorum versantur in disserendis rebus theologicis (exegeticis et homileticis) et his omnibus praeeminet.

1) *Glossa ordinaria* seu magistralis, „sic appellata, quia illam omnes tamquam officinam ecclesiasticorum sensuum consulere solebant, quotiescunque opus erat ad scripturae sententiam recurrere.“ [5] Huc accedunt:

2) iam memorata *epitome* commentariorum Rabani in Leviticum [6];

---

[1] „Dum Ligeris bibulas transcendis missus harenas
Hic corpus linquens spiritu ad astra volas.
Quindenis raperis Septembris, care, Kalendis.“
M. G. p. l. II, p. 423. — [2] *Trithem.* De vir. illustr. — [3] *Goldast* Script. rer. alamann. t. I, 2, p. 229. — [4] Rabanus in epitaphio laudat:
„Abbas coenobii huius custosque fidelis
Hic fuerat caute dogmata sacra legens.
Nam docuit multos, metrorum iure peritus,
Dictavit versus, prosa facundus erat.“
M. G. p. l. II, 239. — [5] Cfr. Prolegg. edit. Duac. 1617, etiam apud Migne s. l. t. 113, p. 14. Editiones huius glossae enumerantur Hist. litt. Gall. t. V, p. 62. Cf. König, Freib. Diöc. Arch. III, p. 442. — [6] Migne t. 114, p. 795.

3) expositio in psalmos Davidis, e quibus iam tempore Egonis viginti primi tantum reperiuntur [1];

4) homilia in initium evangelii s. Matthaei [2];

5) sermo de subversione Hierusalem in cp. 19 Luc.[3];

6) sermo de omnibus sanctis incipiens: *Hodie dilectissimi* (cfr. Brev. Roman. 1. Nov. lectt. II. noct.), qui plerumque Bedae Venerabili adscribitur. Sequuntur opera historica.

7) libellus noster singularis de exordiis et incrementis quarundam in observationibus ecclesiasticis rerum [4];

8) Duae vitae, una s. Galli, altera s. Otmari, abbatum Sangallensium, quas Walafridus sermone barbaro et inculto traditas rogatus a Gozberto abbate Sangallensi in elegantiorem formam redegit.[5] Carmen de gestis s. Galli iam inchoatum, quominus perduceret ad finem repentina morte impeditus est.

Carmina de diversis rebus composuit Walafridus non pauca, at inter omnia obtinet primum locum:

9) *Visio Wettini* superius iam memorata, quae postea saepius descripta et glossis illustrata fuit.[6] Sequuntur:

10) Acta Mammetis martyris fabulosa, quae Walafridus ex graeca in linguam latinam translata versibus illuminavit.[7]

11) Vita Blaitmici martyris a Danis interemti.[8]

12) Hortulus, carmen de cultura hortorum concinnum atque elegans, quod medio aevo et ad recentiora usque tempora magni pretii habebatur.[9]

13) Poema de statua Theodorici Ostrogothorum regis

---

[1] Migne, l. c. p. 751. Pez, Thes. anecdott. noviss. t. I, 3, p. 658. — [2] Migne, l. c. p. 849. Pez, l. c. t. II, p. 41. — [3] Migne, l. c. p. 965. Canisius, Lectt. antiquae II, 277. — [4] Tempore Egonis autographum in Augia asservatum est. Cfr. Pez, Thes. anecdott. noviss. T. I, 3, p. 658. — [5] M. G. SS. II, p. 41 sqq. et p. 47 sqq. ap. Migne, l. c. p. 975 sqq. — [6] M. G. poet. lat. II, p. 267—333. Migne, l. c. p. 1063 sqq. — [7] Migne, l. c. p. 1047. — [8] Migne, l. c. p. 1043. — [9] M. G. p. l. II, p. 335 sqq. Migne, l. c. p. 1121. Edit. princeps, Viennae Austriae 1510.

Meyer v. Knonau / St. Gall. Geschichtsquellen T (1870)

anno 801 a Carolo Magno a Ravenna Aquisgranum deportata, seu de imagine Tetrici.[1]

14) Hymni et carmina de rebus diversis.[2]

In omnibus suis poematibus antiquos poetas uti Virgilium, Ovidium, Prudentium, Iuvencum, Sedulium aliosque sibi proposuit Walafridus imitandos, magis vero eorum deprompsit formam atque sententiâs quam verba. Dicendi genus eius semper fere est politum, interdum vero tortum atque obscurum. De ingenio Walafridi poetico hoc tulit iudicium Iacob. Grimm: „Kaum möchte es einer an feinem talent dem Walafrid Strabo zuvor gethan haben, dessen hortulus weiche verse von innigem gefühl darbietet. Volksmässige anklänge scheinen ihm iedoch fremd.“[3] Lebeuf autem laudat eum „le Virgile de son temps.“ „il y a dans sa description des plantes quelques endroits incomparables et dignes du siècle d'Auguste.“[4]

Scribebam Monachii mense Augusto 1890.

---

[1] M. G. p. l. II, p. 370. Migne, l. c. p. 1089. Cfr. *Bock*, Jahrbücher des Vereins von Alterthumsfreunden 1844 et 1871. *Grimm*, das Reiterstandbild Theodorichs zu Aachen. Berlin 1869. *Zahn*, Jahrb. f. Kunstwissensch. V, 176; V, 1. — [2] M. G. p. l. II, p. 350 sqq. Migne, l. c. p. 1092 sqq. *Mone*, Die lat. Hymnen des Mittelalters. Freiburg 1853—1855, t. I et III. — [3] *Grimm und Schmeller*, lat. Gedichte p. VIII. — [4] *Lebeuf*, Divers écrits II, p. 106.

Sigla quibus variantes lectiones adnotavi, haec sunt:

S. G. = cod. Sangallensis.
M = Monacensis I.
M' = Monacensis II.
c = ed. Cochlaei.
h = ed. Hittorpii.
l = bibliotheca max. lugdun.
m = ed. Migne.
oe = omnes editiones.

WALAFRIDI STRABONIS

LIBER

DE EXORDIIS ET INCREMENTIS QUARUNDAM IN OBSERVATIONIBUS ECCLESIASTICIS RERUM.

Incipit libellus Walafridi Strabonis de exordiis et incrementis quarundam in observationibus ecclesiasticis rerum.

Hoc opus exiguum Walafridus pauper hebesque
Collegit, patrum dogmata lata sequens;
Sed non sponte sua tam magnos venit in ausus,
Dura Reginberti iussio adegit eum.
Si quid in hoc, lector[a], placet assignare memento
Id domino, quicquid displicet hocce mihi.

Incipiunt capitula opusculi sequentis.

I. De exordiis templorum et altarium.
II. Qualiter religiones diversae se invicem imitatae sunt et quid commune habuerint, quid diversum[b].
III. De profectu religionis christianae.
IV. In quas plagas orantes vertantur.
V. De vasis, quae simpliciter signa dicuntur.
VI. Expositio nominum quorundam sacris rebus adiacentium.
VII. Quomodo theotisce domus dei dicatur.
VIII. De imaginibus et picturis.
IX. De templis et altaribus dedicandis.
X. Quid fieri debeat in locis deo consecratis.

---

[a] m, lecto. — [b] M[1], „de diversis religionibus“ a manu posteriori ad marginem notatum.

XI. Quid item non debeat.
XII. De orandi modis et distantia vocum.
XIII. Quibus prosit divinus cultus et quibus non.
XIV. Iustas oblationes et magis virtutes quam corporalia munera deum desiderare.
XV. De oblationibus veterum.
XVI. De sacrificiis novi testamenti.
XVII. Cur mutata sint per Christum sacrificia.
XVIII. De virtute sacramentorum et cur ab eis criminosi suspendantur.
XIX. Quid offerendum sit in altari.
XX. Non ab aliis quam ieiunis communicandum.
XXI. Quod alii rarius, alii crebrius, alii cotidie communicandum dicunt.
XXII. Utrum semel vel saepius in die offerre conveniat et communicare.
XXIII. De ordine missae et offerendi ratione.
XXIV. De tempore missae.
XXV. De vasis et vestibus sacris.
XXVI. De horis canonicis, genuum flexione, ymnis, cantilena et incrementis eorum.
XXVII. De baptismi incremento et mersione et causis baptizandorum.
XXVIII. De decimis dandis.
XXIX. De laetaniis agendis.
XXX. De aqua sparsionis.
XXXI. De benedictione cerei.
XXXII. Comparatio ecclesiasticorum ordinum et secularium et conclusio libelli.

Finiunt capitula.

Dehinc imprimis incipit prefatio; dein textus sequentis libelli. In nomine dei patris et filii et spiritus sancti. A et Ω.

De ministris ecclesiae et ministeriis ipsorum, necnon et de multiplicibus sacramentorum, officiorum et observationum rationibus multi multa dixerunt, ita ut pauca vel pene nulla remanserint, quae non iam per inluminationem spiritus sancti sint demonstrata, non solum qualiter debeant fieri, verum etiam quomodo singula mystice debeant vel possint intellegi diligenti examinatione discussa[a]. Quorum omnium copiam cum secundum sollertissimum in rebus ecclesiasticis studium tuum et libris habeas et memoria comprehensam, venerande[b] in Christo pater Reginberte, salubri curiositate ardens, quaedam non a prioribus penitus omissa, sed brevius quam volueras tacta, a me addi desideras, quasi aliquid illos fugerit[c], quod nos possimus inspicere; cum potius vere fateri debeamus, omnia quae illi inventa nobis scriptis suis reliquerunt, nec ipsa discendi instantia nos assequi posse. Sed est, quod in huiuscemodi coeptis[d] me timidum consoletur, dum considero, illos difficilioribus intentos,

---

[a] oe, excussa. — [b] oe, o venerande. — [c] oe, aufugerit. — [d] oe, huiusmodi incoeptis.

leviora transisse et putasse nobis aperta, quae sibi pro[a] sensus sui vivacitate videbantur perspicua. Scribam igitur in quantum dominus dederit facultatem, sicut ex authenticorum dictis, quae adhuc attigimus, addiscere potui, de quarundam ecclesiasticarum exordiis et causis rerum, et unde hoc vel illud in consuetudinem venerit, et quomodo processu temporis auctum[b] sit, indicabo, habiturus et si non pro scientia laudem, tamen pro obedientia certam mercedem. Et primum de sacris aedibus, in quibus ipsa celebrantur sacra, dicendum videtur.

[a] oe, lacunam habent, om. *me timidum — quae sibi pro.* — [b] ml, om. auctum.

I.

De exordiis templorum et altarium.

Altaria quidem Noe[1], Abraham[2], Isaac[3] et Jacob[4], Domino, ut legitur, exstruxerunt. Moyses vero primus[a] tabernaculum iuxta exemplar divinitus sibi demonstratum in deserto Synai[5] filiis Israhel de servitute egyptia liberatis erexit. Salomon quoque longo iam tempore eodem populo in terra repromissionis degente et regiae dignitatis apice gentibus circumpositis praeminente, templum illud mirificum in Hierusalem[6], quam David pater eius[b] caput regni instituit, magnis aedificavit sumptibus et diversis ditavit[c] ornatibus[d]. In quorum utroque, tabernaculo videlicet ac templo, et arca testamenti et altaria cum utensilibus suis aliaeque species religioni illius temporis congruae fuisse leguntur, tam multiplices et tam consulta ratione provisae, ut quicquid modo spiritalibus ecclesiae celebratur in studiis, totum in illis constructionum[e] figuris pleniter et, ut ita dicam, consignanter deliniatum atque constructum[f] videatur. Paganos etiam templa fecisse diis suis vel potius daemonibus, se-

[a] M[1], primum. — [b] oe, pater caput eius. — [c] oe, dotavit. — [d] M[1], ordinibus. — [e] m, constructionem. — [f] M[1], praestructum.

[1] Genes. VIII, 20. — [2] Genes. XII, 7; XIII, 18; XXII, 9. — [3] Genes. XXVI, 25. — [4] Genes. XXXIII, 20; XXXV, 1, 3, 7. — [5] Exod. XXV, 9 sqq. — [6] III Reg. VI—IX.

ductoribus suis, non solum ex ipsorum libris, sed etiam ex divinae scripturae testimoniis agnoscimus, quia et templum Dagon in Samuele legimus[1], et regem Sennacheribus in templo Neserach trucidatum[2]; Danielem[a] quoque in templo Belis sacerdotum eius strophas deprehendisse[3]; et Antiochum reliquiarum populi Dei persecutorem gravissimum et templi, quod post reversionem de captivitate reaedificatum est, violatorem in templo Naniae corruisse cognoscimus[4], et multa alia, quibus approbatur quod dicimus. Nolumus autem de libris paganorum eiusdem rei testes adsciscere, ne inter ecclesiasticae aedificationis eloquia lectoris animum inutilibus fabulis occupemus.

II.

Qualiter religiones diversae se invicem imitatae sint[b], *et quid commune habuerint, quid diversum.*

Et primis quidem temporibus tam veros Dei cultores quam etiam daemonum veneratores in locis congruis suae religionis cultum sub divo celebrasse credendum est. Sed quia daemones hominibus persuaserunt, in contumeliam creatoris *imaginem incorruptibilis Dei, in similitudinem corruptibilis hominis et volucrum, et quadrupedum et serpentium*[c] *commutare, et servire creaturae potius quam creatori*[5],

[a] S.G. Danihelem. — [b] S.G. sunt. — [c] oe, serpentum.

[1] I Reg. V, 2 sqq. — [2] IV Reg. XIX, 37. Nesroch representabat numen supremum Assyrorum et colebatur sub figura aquilae. — [3] Dan. XIV. — [4] II Mechab. I, 13—16. — [5] Rom. I, 23. Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis et volucrum et quadrupedum et serpentium. 25 . . et servierunt creaturae potius quam creatori.

consequenter etiam aedificationem templorum et sanguinis non solum animalis, sed etiam humani immolationem ad maiorem persuasi erroris vindictam sibi fieri exposcebant. Ideoque omnipotens et patiens creator, facturae suae volens undecunque consulere, quia[a] propter fragilitatem carnalium omnes consuetudines pariter tolli non posse sciebat, permisit et iussit quaedam sibi obedienter a[1] piis exhiberi, quae daemonibus damnabiliter ab impiis solvebantur, sicuti sunt aedium constructiones et diversorum genera sacrificiorum. Et factum est, ut quae prioribus propter infirmitatem concessa sunt ad exclusionem erroris, nobis sequentibus[b] per Christi passionem patefacta proficerent ad causam perfectionis, dum et in illis materialibus structuris aedificium ecclesiae spiritale, et in carnalibus victimis ac solemnitatibus passionem Christi et virtutum documenta sentimus. Sicut autem quaedam praecepta moralia nobis et veteribus voluit Deus esse communia, ut sunt ea, quae ad morum honestatem et ad ius inter homines pertinent conservandum, ita quaedam flagitiosa, quae daemonum voluptati sunt instituta[c], et illis et nobis statuit omnimodis fugienda: maleficia videlicet ac mendacia, stupra et superstitiosos errores et similia. Haec cum ita sint distincta[d], sciendum est, quaedam esse omni religioni communia, ut est: „*Quod tibi non vis fieri, alii*[e] *ne feceris*“[1], et quicquid ex naturali lege divinis congruum invenitur mandatis. Hoc tamen in illis distat, quod quidam illa[f] propter honestatem, ut philosophi, quidam propter

[a] oe, quia vero. — [b] m, sequentis. — [c] oe, voluptate instituta. — [d] oe, dicta. — [e] M[1], alio. — [f] M[1], in illa.

[1] Tob. IV, 16. Matth. VII. 12. Luc. VI, 31. *Lampridius* de Alexandro Severo refert cp. 51: „clamabat saepius, quod a quibusdam sive Iudaeis sive Christianis audierat et tenebat, idque per praeconem, cum aliquem emendaret, dici iubebat ‚quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris‘. Quam sententiam usque adeo dilexit, ut et in palatio et in publicis operibus perscribi iuberet.“

timorem, ut Iudaei, alii propter dilectionem, ut Christiani observant. Ut autem ad proposita revertamur: sicut Deus, ut destrueret opera diaboli, quaedam sibi exhiberi voluit a cultoribus suis, quae daemones prius persuaserunt errantibus, ita cultum a Deo institutum maxime in sacrificiorum et ceremoniarum multiplicitate sibi deinceps daemones exposcebant, sicut scriptum est de libris legis Dei, de quibus scrutabantur gentes similitudinem simulacrorum suorum, ut scilicet, quomodo lex Domino servire praecepit, eisdem ritibus deceptores suos, daemones, deceptae gentes venerarentur. Nam et temporibus Tiberii et Gai caesarum idola in templo Domini legimus collocata.[1] Et Iulianus Apostata totum ecclesiastici ordinem ritus ad idolorum[a] honorem detorquere conatus est[2]; et ipse diabolus a Christo se pro Deo voluit adorari.[3]

III.

De profectu religionis christianae.

Postquam itaque venit tempus, quando veri adoratores in spiritu et veritate non in Hierusalem tantum vel monte[b] Samariae[4], id est, non localiter sed spiritaliter coeperunt adorare patrem, et in omnes gentes secundum domini iussionem doctrina salutaris emissa est, coeperunt fideles loca munda quaerere et a[c] tumultibus ac negotiis carnaliter

[a] oe, diabolorum. — [b] M[1], in monte. — [c] m, ac.

[1] Tacit. Hist. V, 9 scribit: „sub Tiberio quies. Dein iussi a Gaio Caesare effigiem eius in templo locare, arma potius sumpsere; quem motum Caesaris mors diremit.“ Cfr. Iosef. Flav. Antiq. l. XVIII, cp. 8. — [2] Cfr. Socrates, Hist. eccl. l. III, cp. 1. — [3] Matth. IV, 9 sq. — [4] Ioh. IV, 21, 23.

conversantium semota, in quibus orationes mundas et sacrosancta mysteria et mutuae aedificationis solatia celebrarent. Quamvis enim secundum evangelistam erant discipuli cum credentibus semper in templo vel coenaculo, laudantes Deum et orationi ac ieiunio insistentes[1], tamen post adventum spiritus sancti legimus eos circa domos orationes et fractiones panis celebrasse, et non solum intra[a] urbium aedificia, verum et extra in locis secretis convenisse. Nam et Paulus processisse legitur in Philippis extra portam iuxta flumen, ubi videbatur oratio esse[2], et ipse cum Ephesiis oravit in litore.[3] Cum autem multiplicaretur numerus credentium, coeperunt domos suas facere ecclesias, ut in gestis sanctorum creberrime[b] legitur, et privatas habitationes ad publicas fidelium contulerunt utilitates. Saepe etiam persecutorum rabiem declinantes in criptis et in cimiteriis et speluncis atque desertis montibus et vallibus conventicula faciebant. Deinde magis magisque proficiente christianae religionis miraculo et per lucra Christi damno succedente diaboli, non solum novae ad orandum domus constructae sunt, sed etiam templa deorum abiectis et exterminatis idolis cum spurcissimis cultibus suis in Dei mutantur[c] ecclesias.[4]

IV.

In quas plagas orantes vertantur.

Et quia diversitas idololatriae diversis modis templa construxerat, non magnopere curabant illius temporis iusti,

[a] oe, inter. — [b] M[1], celeberrime. — [c] oe, mutabantur.

[1] Act. I, 13, 14; II, 1. — [2] Act. XVI, 13. — [3] Act. XX, 37. cfr. XXI, 5. — [4] De basilica christiana eiusque origine cfr. tractatum lectu valde dignum s. v. Basilika in Kraus, Real-Encyclop. I, 109 sqq.

quam in partem orationis loca converterent, dum tantum viderent[a], ubi eliminatae sunt daemonum sordes, ibi Deum omnium creatorem[b], qui ubique est, coli et adorari. Quamquam itaque sapiens dicat, nos ad orientem lucis adorare Deum[1], et revera congruum est et salubri more institutum, ut orientem versus facies orando vertamus, quia sicut ab oriente lucis adventum suscipimus corporeae, sic in orationibus inluminari super nos vultum illius deposcimus, de quo scriptum est: *„ecce vir, Oriens nomen eius“*, et: *„visitavit nos Oriens ex alto“*[2], tamen quia et templi et tabernaculi introitus ab oriente fuit, ubi et altare et labrum erat et omnes victimarum et sacrificiorum ritus fiebant, certum est, in utroque ab oriente multos orasse contra occidentem. Siquidem et Salomon dedicans templum stetit ante altare et extendit manus in caelum et effudit orationem

[a] oe, videretur. — [b] oe, creatorem omnium.

---

[1] Sapiens hic vir, quem laudat Walafridus intellegendus est, ut opinor, Origenes aut Tertullianus. Uterque enim commemorat consuetudinem Christianorum versus orientem orandi. Tertullianus (Apolog. cp. XVI) dicit: „Denique inde suspicio quod innotuerit nos ad orientis regionem precari.“ Idem prope refert Origenes De orat. cp. 32: „illuc nos symbolice conversos, anima veri luminis ortum veluti respiciente, orare debere.“ — Auctor Quaest. et Resp. ad orthodoxos, quae Iustino Mart. falso adscribuntur, dicit Quaest. 118: „cur, ut opus venerabile et dei sedem habentes eam partem quae ad solem posita est, ad eam respicimus cum hymnos et preces deo offerimus?“ Resp. „Quemadmodum dextra manu in nomine Christi consignamus eos, qui hoc signaculo indigent, quia honorabilior existimatur quam laeva, quamvis situ, non natura differet; ita oriens, ut pars mundi praestantior, ad deum adorandum est destinatus.“ Otto, Iustini opp. III. 1. p. 193. Plures alios affert *Thomasius Iacob.* De ritu veterum christianorum precandi versus orientem. 1770. *Bingham Ios.* Origenes sive antiquit. ecclesiast. Halae 1727. lib. XIII. cp. VIII. § 15. Vide etiam *Thalhofer Valent.* Handbuch der kath. Liturgik I. p. 605 ff. — [2] Zachar. VI, 12 cfr. III, 8: ecce enim ego adducam servum meum Orientem. Luc. I, 78.

ordo ad mat. p. 13 p. 83 R.

tam devotione quam prolixitate mirabilem[1]: priora autem et anteriora templi vel altaris orientem respiciebant, unde et apud veteres orientales partes[a] templorum antica, occidentales postica, aquilonares sinistra, meridianae dextra dicebantur; quod et de templi Domini latere meridiano sic scribitur: *Ostium lateris medii erat in parte domus dextrae.*[2] Quia igitur[b] portae trium atriorum una contra alteram positae recta linea ad orientem patebant, ita ut[c] sol aequinoctialis exoriens radios suos per illas aequaliter contra medietatem[d] templi dirigeret[e], eodemque modo per ostia porticus et ipsius templi, in ostia sancti sanctorum altrinsecus posita pertenderet; sicut traditur a maioribus, illi, qui in exterioribus atriis positi ab introitu interioris quibusdam rationalibus[f] causis prohibebantur, per portarum contra se positarum patulum prospectum oculos usque ad introitum templi dirigentes, quo pedibus non audebant, precibus et votis et salutationibus accedebant. Sed et ipse Salomon in illa celebri oratione de populo in peregrinationem propter peccata sua venturo dixit ad Deum: *Si oraverit ad te contra viam civitatis*[g], *quam elegisti et templi, quod aedificavi nomini tuo,* et reliqua.[3] Quod Daniel quoque propheta, et talis in quo suspicio nulla potuit reperiri[4], legitur fecisse. Apertis enim fenestris coenaculi sui contra Hierusalem tribus vicibus oravit per singulos dies[5]. His et aliis exemplis edocti cognoscimus, non errasse illos vel errare, qui in[h] templis vel noviter Deo constructis vel ab idolorum squalore mundatis, propter

---

[a] chl, om. partes. — [b] oe, ergo. — [c] chl, et; m, om. — [d] M[1], meridietatem. — [e] lm, erigeret. — [f] oe, quasi rationabilibus. — [g] oe, Si oraverit (m, vocaverit) contra civitatem. — [h] oe, om. in.

---

[1] III Reg. VIII, 22 sqq. — [2] III Reg. VI, 8. — [3] III Reg. VIII, 44. Vulg. ... orabunt te contra viam civitatis, quam elegisti et contra domum, quam aedificavi nomini tuo. — [4] Dan. VI, 4. — [5] Dan. VI, 10.

aliquam locorum opportunitatem, in diversas plagas altaria statuerunt[a] vel statuunt, quia non est locus, ubi non sit Deus. Verissima enim relatione didicimus, in ecclesia, quam apud Aeliam[b] Constantinus imperator cum matre Helena, super sepulcrum Domini mirae magnitudinis in rotunditate constituit[1], itemque[c] Romae in templo, quod ab antiquis Pantheon dictum, a beato Bonifacio papa, permittente Focate[d] imperatore, in honorem omnium sanctorum consecratum est[2], in ecclesia quoque beati Petri, principis apostolorum, altaria non tantum ad orientem sed et[e] in alias partes esse distributa. Haec cum secundum voluntatem vel necessitatem fuerint ita disposita, improbare non audemus. Sed tamen usus[f] frequentior, secundum quod et supra memoravimus, et rationi vicinior habet: in orientem orantes converti et pluralitatem maximam[g] ecclesiarum eo tenore constitui.[3] *„Unus quisque in sensu suo abundet.“*[4] *„Prope est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate“*[5], et *„longe a peccatoribus salus“*[6]*: Adpropinquemus domino, et*[h] *appropinquabit nobis“*.[7] Alioquin peccator etiam si fugerit, eum qui ubique est, evitare non poterit; *„quia neque ab oriente neque*[i] *ab occidente, neque a desertis*

[a] oe, om. vel statuunt, quia. — [b] S.G., Heliam. — [c] oe, idemque. — [d] oe, Foca. — [e] oe, etiam. — [f] m, unus. — [g] m, animarum et app. sic! — [h] M[1], et ipse. — [i] cm, nec.

[1] De aedificiis Constantini super sepulcrum Domini extructis vid. *Unger*, Bauten Constant. M. am hl. Grabe. Göttingen 1866. Schegg, P., Die Bauten Constant. über d. hl. Grabe. Freising 1877. Cfr. Ciampini, De s. aedificiis a Const. M. extructis. Roma 1693. — [2] Bonifacius IV. papa 608—615: „Eodem tempore petiit a Focate principe templum qui appellatur Pantheum, in quo fecit ecclesiam b. Mariae semper virginis et omnium martyrum.“ Lib. pontif. Duch. I. p. 317. — [3] Iam apud ethnicos id moris fuisse constat. „Antiqui architecti in occidentem templa recte spectare scripserunt, postea placuit omnem religionem eo convertere ex qua parte caeli terra illuminabitur.“ Hygin. Grom. cp. 4. — [4] Ad Rom. XIV, 5. — [5] Ps. 144, 18. — [6] Ps. 118, 155. — [7] Jacob. IV, 8.

montibus"[1] subaudis[a] patet locus fugiendi „*quoniam Deus iudex est: hunc humiliat et hunc exaltat*".[2] Cui etiam propheta dicit: „*Quo ibo a spiritu tuo, et quo fugiam a conspectu tuo*[b]? *Si ascendero in coelum*" et reliqua.[3]

V.

De vasis quae simpliciter signa dicuntur.

De vasis vero fusilibus vel etiam productilibus, quae simpliciter signa vocantur, quia eorum sonoritate quibusdam pulsibus excitata significantur horae, quibus in domo Dei statuta celebrantur officia: de his, inquam, hoc[c] dicendum videtur, quod eorum usus non adeo apud antiquos habitus proditur, quia nec tam multiplex apud eos conventuum assiduitas, ut modo est, habebatur. Apud alios enim devotio sola cogebat ad statutas horas concurrere, alii praenunciationibus[d] publicis invitabantur, et in una solemnitate proxime futuras discebant. Apud quosdam tabulis, apud nonnullos cornibus[e] horae prodebantur. Vasorum autem, de quibus sermo ortus est, usum primo apud Italos affirmant inventum. Unde et a Campania, quae est Italiae provincia, eadem vasa maiora quidem campanae dicuntur, minora vero, quae et a sono tintinnabula vocantur, nolas appellant, a Nola eiusdem civitate Campaniae, ubi eadem vasa primo sunt commentata. Quia vero tubas aereas et argenteas in lege habemus[4], et propheta[5] quasi

[a] em, subandi. — [b] oe, quo a facie tua fugiam, ut exh. Vulg. LXX: ποῦ πορευθῶ ἀπὸ τοῦ πνεύματός σου; καὶ ἀπὸ τοῦ προσώπου σου ποῦ φύγω. — [c] oe, hic. — [d] mlh, pronuntiationibus. — [e] M[1], cordibus.

[1] Ps. 74, 7. — [2] Ps. 74, 7 et 8. — [3] Ps. 138, 7. — [4] Numeri X, 2. — Isa. 58, 1.

tuba vocem praedicationis exaltare iubetur[a], congrue his vasis utimur in convocatione fidelium, ut praedicatio nostra in ecclesia in argento pura, in aere significetur durabilis et sonora, id est, ut nec haeretica foedetur rubigine, nec negligentiae lassetur pigridine[b], nec humana supprimatur formidine.[1]

VI.

Expositio nominum quorundam sacris rebus adiacentium.

Haec a nobis, ut potuimus, dicta sunt; nunc de nominibus, quae ipsis sacris locis vel aedificiis non fortuito, sed rationabiliter imposita sunt, pauca dicamus, ut lector, dum causas aedificiorum et exordia didicerit, cur etiam ita vel ita dicta sint, possit advertere.

Ecclesia, quod[c] graecum nomen est et interpretatur convocatio vel conventus, cum sit vel generalis sanctorum unitas, in una fide et dilectione coniuncta, unde una et catholica dicitur ecclesia, vel singulorum societas sancta locorum, unde et multae dicuntur ecclesiae. Tamen etiam ipsa domus, in qua ad divina vel discenda vel celebranda convenit multitudo fidelium, ecclesia vocatur, a re quae ibi geritur, illud vocabulum mutuans[d]. Horum exempla apostolus insinuat dicens: „*ut exhiberet sibi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam neque rugam*“[2]; et: „*sicut in omnibus ecclesiis sanctorum doceo*“[3]; et: „*mulieres in*

---

[a] oe, iubet. — [b] oe, pigritudine. — [c] oe. quidem. — [d] oe, mutuamus.

---

[1] De hac materia fusius agitur in *Otte* Heinr., Handbuch der kirchl. Kunstarchaeologie d. deutschen Mittelalters. 4. Aufl. Leipzig 1863—68. 1 Abthl. *Idem* Glockenkunde. 2. Aufl. Leipzig 1884. — [2] Eph. V, 27. — [3] I Cor. IV, 17. καθὼς πανταχοῦ ἐν πάσῃ ἐκκλησίᾳ διδάσκω. Vulg. sicut ubique in omni ecclesia doceo.

ecclesia taceant"[1], et multa his similia. Unisquisque etiam electorum domus et templum Dei dicitur, sicut apostolus et suo[a] et prophetico confirmat exemplo: „*Templum*, inquiens, *Dei sanctum est, quod estis vos*"[2]; „*sicut dicit Dominus, quia inhabitabo et inambulabo in illis*[b]"[3] et reliqua. Et Petrus: „*Vos tanquam lapides vivi superaedificamini domus spiritales*"[4], et reliqua. Sicut ergo ecclesia[c] in ecclesia, sic multae domus et templa in domo Dei et templo conveniunt. Domus autem dicta est a domate, quod graece tectum vocatur. Dicitur etiam domus familiae totius sub uno tecto commorantis consortium, sicut urbs totius populi et orbis totius generis humani est domicilium.

Templum dictum est quasi tectum amplum; unde et excellentioribus aedificiis hoc congruit nomen; sicut Salomon, rex potentissimus[d], in regia urbe templum, Moyses vero in itinere tabernaculum dicitur[e] condidisse. Dictum est autem tabernaculum a tabulis et cortinis, eo quod interstantibus tabulis cortinae desuper tenderentur; unde et militum tentoria, quibus in itinere solis ardores, tempestates imbrium, frigorisque iniurias vitant, tabernacula dicuntur. Aedes et aedificia ab edendo putant dicta, quasi primitus ad edendum facta; unde Plautus dicit:

„*Si vocassem vos in aedem ad prandium*".[5]

Potest enim fieri, ut aedes ad edendum in eis, sicut coenacula ad coenandum primo sint facta et postea longo

[a] oe, in suo. — [b] oe, vobis. — [c] ml, om. ecclesia. — [d] oe, sapientissimus. — [e] oe, dicitur tabernaculum.

[1] I Cor. XIV, 34. cfr. I Tim. II, 11, 12. — [2] I Cor. III, 17. — [3] II Cor. VI, 16. Lev. XXVI, 12. — [4] I Petr. II, 5. οἶκος πνευματικός. — [5] Versum sic compositum frustra quaesieris et in comoediis et in fragmentis Plauti; Walafridus ex memoria tantum allegasse videtur, fortasse obversabatur ei: Poenul. III, 1, 26. „At si ad prandium me in aedem vos dixissem ducere." „ad prandium vocare" crebrius usurpatur a Plauto.

usu in aliud verterentur. Sicut tabernae primitus plebeiorum domunculae, quod ex[a] tabulis ligneis fierent, dicebantur, unde et tabernaculum derivari quidam volunt; nunc autem cauponum aediculae[b] sic vocantur.

Basilica graece, latine regalis dicitur vel regia, a basileo, id est a[c] rege. Nam et carnalium regum palatia ita dicuntur, sicut scriptum est de Hester. „*Stetit in atria domus regiae, quod erat interius contra basilicam regis*".[1] Nostra autem orationis domus[d] ideo regia dicitur, quia regi regum in ea servitur, vel quia reges et sacerdotes, id est summi regis et sacerdotis membra, qui motibus corporis imperant et spiritales hostias immolant Deo, ibi regenerantur ex aqua et spiritu et salutari nutriuntur doctrina. *Absida* graece, latine lucida dicitur, quia lumen acceptum per arcum intromittit. *Exedra* est absida quaedam, separata modicum quid[e] a templo vel palatio et dicta inde, quod extra haereat; graece autem cyclon vocatur. *Aram* quidam vocatam dixerunt, quod ibi incensae victimae arderent, alii a precationibus[f], quas graeci aras vocant; unde et imprecationes antara[g] dicuntur. *Altare* autem quasi altae arae nominatur. *Porticus* a porta, vel[h] quod sit aperta dicitur; ad hoc enim[i] maxime sit[k], ut per eam intretur et transeatur. *Cymiterium* recubitorium vel dormitorium est mortuorum, qui et ideo ab ecclesia dormientes dicuntur, quia resurrecturi non dubitantur. *Cryptae* sunt specus subterranei, dictae a profunditate abrupta, sicut et crepidines dicimus abruptas summitates quorumlibet corporum. *Martyria* vocabantur ecclesiae, quae in honore aliquorum martyrum fiebant, quorum sepulcris et ecclesiis honor

[a] oe, sex. — [b] oe, ecclesiae. — [c] oe, om. a. — [d] oe, domus orationis. — [e] oe, quidem. — [f] m, predicationibus. — [g] M1, ante ara. — [h] ml, ut vel. — [i] oe, om. enim. — [k] oe, fit.

[1] Esth. V, 1.

congruus exhibendus in canonibus decernitur; qui et loca, quae sub incertis nominibus et reliquiis vel tantum mortuorum appellatione construuntur, nullo honore colenda constituunt; quod beatus Martinus et Germanus parisiensis suis leguntur confirmasse exemplis. *Sacrarium* dicitur, quia ibi sacra reponuntur et servantur; *analogium*, quod in eo verbum Dei legatur et nuncietur[a]; logos enim graece verbum vel ratio dicitur; *pulpitum*, quod sit in publico statutum, ut qui ibi stant, ab omnibus videantur. *Ambo* ab ambiendo dicitur, quia intrantem ambit et cingit. *Cancelli* videntur dici, quia minoribus columnis fiunt; cancri enim vocantur maiores columnae et maximae[b] quadrae; vel cancelli dicuntur a cubito, qui graece ancos[1] dicitur. Solent enim plurimi non altius construi, quam ut stantes desuper inniti cubitis possint. *Ianuae* a Iano quodam dictae, cui gentiles omnem introitum et exitum consecrarunt. *Ostia* ab obstando extra positis, vel ostendendo aditum vocantur; *valvae* a volvendo; *fores*, quod forinsecus sint positae; *portae* quia per eas portantur quaeque et feruntur. Sunt autem ianuae proprie primi ingressus in domum, ostia intra ianuam aditus ad loca quaelibet; valvae quae intro volvuntur[c], id est vertuntur et complicantur, sicut fores, quae foras vertuntur; portae autem proprie sunt murorum et atriorum. *Camera* dicitur a curvitate, quae solet in his aedificiis fieri, quae cementicio opere desuper concluduntur. Haec etiam a concavitate superiori ad similitudinem cuiusdam[d] animalis testudo nominatur; graece enim camyron[2] curvum dicitur. *Lacunaria* et[e] laquearia pendentia sunt templorum ornamenta, inde dicta, quod

[a] oe, annuncietur. — [b] m, maxime. — [c] m, voluntur. — [d] m, eiusdem. — [e] oe, vel.

[1] Recte ἀγκών ὁ. — [2] curvus interpretatur graece καμπύλος; verisimiliter Walafr. intellegit hic χαμός = hamus, ap. Hesych. = καμπύλος.

luceant in aëre. Quia vero longum est, singulas sacrarum aedium partes exponendo percurrere, multiplex est enim[a] in eis aeque ut in caeteris structuris nominum et specierum diversitas; sufficiant haec de eminentioribus earum partibus dicta. Ad caetera quae restant per haec signa ingressuum facilior studiosis patebit introitus.

VII.

Quomodo theotisce domus Dei dicatur.

Dicam tamen etiam secundum nostram barbariem, quae est theotisca, quo nomine eadem domus Dei appelletur[b], ridiculo futurus latinis, si qui forte haec legerint[c], qui velim[d] simiarum informes natos inter augustorum[e] liberos computare. Scimus tamen et Salomoni, qui in multis typum gessit Domini salvatoris, inter pavones simias fuisse delatas[1]; et[f], Dominus qui pascit columbas, *dat escam pullis corvorum invocantibus eum.*[2] Legant ergo nostri et sicut religione, sic quoque rationabili locutione nos in multis veram imitari Graecorum et Romanorum intellegant philosophiam. Multae res sunt apud singulas gentes, quarum nomina ante cognitionem ipsarum rerum apud alias incognita sunt; sicque fit saepissime, ut rerum intellectus alii ab aliis addiscentes, nomina quoque et appellationes earum vel integre vel corrupte cum nova intellegentia in suam proprietatem trahant; ut ab Hebraeis Graeci, Latini et Barbari *amen, alleluia* et *osanna* mutuati sunt. A Graecis Latini et omnes, qui libris latinorum et lingua utuntur, *eccle-*

---

[a] oe, om. enim. — [b] oe, appellatur. — [c] m, tegerint. — [d] St. G. et M[1], habent velim; oe, velint. — [e] m, angustorum. — [f] m, ei.

---

[1] III Reg. X, 22. — [2] Ps. 146, 9.

siam, *baptismum*, *chrisma* et omnium pene radices dictorum acceperunt. A Latinis autem Theotisci multa et in communi locutione, ut *scamel*, *fenestra*, *lectar*, in rebus autem divino servitio adiacentibus pene omnia, item a graecis sequentes Latinos, ut *chelih* a calice[a], phater a patre[b], moter a matre[c], genez a genetio[d], quae graece dicuntur κύλιξ, πατήρ, μήτηρ, γυναικεῖον.[1] Cum in quibusdam horum non solum Latini, ut genitor et genitrix, sed etiam Theotisci proprias habeant voces, ut atto[2] et amma[3], todo[e], et toda[4]; ab ipsis autem Graecis kyrica a kyrios, et papo[f] a papa, quod cuiusdam paternitatis nomen est et clericorum congruit dignitati, et heoro[g] ab eo, quod est heros, et mano et manoth[h] a μήνη[5], et alia multa accepimus. Sicut itaque domus Dei basilica, id est regia a rege, sic etiam kyrica, id est dominica a Domino nuncupatur, quia Domino dominantium et regi regum in illa servitur. Si autem quaeritur, qua occasione ad nos vestigia haec graecitatis advenerint, dicendum: et barbaros in romana republica militasse et multos praedicatorum graecae et latinae locutionis peritos inter has bestias cum erroribus pugnaturos venisse, et eis pro causis multa nostros, quae prius non noverant utilia didicisse, praecipueque a Gothis, qui et Getae, cum eo tempore, quo ad fidem Christi licet non recto itinere perducti sunt, in Graecorum provinciis commorantes nostrum,

---

[a] oe, chelich, (Kylch) calicem. — [b] mlh, vatter pater; goth. fadar. — [c] mlh, mutter mater. — [d] mlh, gynaeceo. — [e] oe, amatodo. — [f] mlh, papst. — [g] c, hero mlh, herr. — [h] mlh, monn et monath.

---

[1] gynaeceum. genez bis invenitur in Gloss. florent. sec. 11—12; genuz semel tantum in Heinr. summar. s. 12. Cfr. Graff, Dr. E. G., Althochdeutcher Sprachschatz. Berlin 1842. t. IV, p. 217. — [2] atto = pater, genitor, atta usque hodie vulgari sermone in usu habetur in quibusdam Germaniae locis. — [3] amma = nutrix nhd. Amme; chindamme = obstetrix, Hebamme. — [4] todo vel toto = patrinus; tota admater cfr. Graff l. c. t. V, p. 381. — [5] Recte μήν.

id est theotiscum sermonem habuerint, et, ut historiae testantur, postmodum studiosi illius gentis divinos libros in suae locutionis proprietatem transtulerint, quorum adhuc monumenta apud nonnullos habentur[1]; et fidelium fratrum relatione didicimus, apud quasdam Scytharum gentes, maxime Thomitanos, eadem locutione divina hactenus celebrari officia. Hae autem permixtiones et translationes verborum in omnibus linguis tam multiplices sunt, ut propria singularum iam non sint pene plura quam cum aliis communia vel ab aliis translata.

VIII.

De imaginibus et picturis.

Nunc iam de imaginibus et picturis, quibus decus ecclesiarum augetur[a], dicenda sunt aliqua. Quia et earum varietas nec quodam cultu immoderato colenda est, ut quibusdam stultis videtur, nec iterum speciositas ita est quodam despectu calcanda, ut quidam vanitatis assertores existimant. Quis enim sanum sapiens, contra id quod scriptum est: *Dominum deum tuum adorabis et illi soli servies*[2]; et iterum: *Non facies tibi omnem similitudinem eorum, quae in coelo vel in terra vel in aquis sub terra sunt*[3],

[a] M[1], augeatur.

[1] Cfr. Massmann H. F., Die hl. Schrift des A. und N. Testaments in gothischer Sprache mit griech. und lat. Text, Anmerkungen und Wörterbuch. Stuttgart 1856. — [2] Deut. VI, 13. „Dominum Deum tuum timebis et illi soli servies.“ Matth. IV, 10. „Dominum Deum tuum adorabis (προςκυνήσεις) et illi soli servies.“ Cfr. Luc. IV, 8. — [3] Exod. XX, 4. „Non facies tibi sculptile, neque omnen similitudinem, quae est in coelo desuper, et quae in terra deorsum, nec eorum, quae sunt in aquis sub terra.“

putabit in tabernaculi vel templi constructione fecisse Moysen et Salomonem? cum et ille secundum divinam iussionem cortinarum varietatem et indumentum sacerdotale diversis ornaverit figuris[1]; et iste secundum sapientiam divinitus sibi attributam picturis et sculpturis, non tantum animalium, sed etiam arborum et herbarum, pene omne opus templi distinxerit; uterque insuper Cherubin similitudine[a] super arcam et propitiatorium statuerit? Cum certum sit, et illos ita sensisse et nos ita sentire debere, quod videlicet non sint Deo debitis cultibus et honoribus colenda, quae ab illis vel nobis facta sunt[b] vel fiunt[c], aut significandi alicuius mysterii causa, ut in[d] tabernaculi et templi structura omnia[e], aut[f] ob commemorationem rerum gestarum, ut picturae historiarum, aut ob amorem eorum, quorum similitudines sunt, animis videntium artius[g] imprimendum[h], ut imagines Domini et sanctorum eius. Neque enim frustra superiori sententiae subiunctum est: *„non adorabis neque coles ea“*[2], ut[i] videlicet intellegamus, in his faciendis devotionem et utilitatem, qua[k] commoneri[l] vel instrui appetimus, non esse culpandam[m], sed in his colendis superstitionem et hebetudinem, qua spiritalem cultum ad corporalia traducere erronei nituntur, esse damnandam. Sane, si cui videtur ars pictorum vel fabrorum ob hoc culpanda, quasi ea quae ab ipsis fiunt propter artis decorem et convenientiam ad cultum sui inliciant inspicientes[n], poterit consequenter et Dei obtrectare facturis, quare ipse vel luminaria caeli tanti splendoris vel herbas et holera tantae creaverit venustatis et odoris, cum ipsa, sicut e

[a] oe, similitudinem. — [b] oe, sint. — [c] oe, fuerint. — [d] oe, om in — [e] oe, omnis. — [f] ml, om. aut. — [g] oe, arctius. — [h] oe, imprimendae. — [i] oe, unde. — [k] ml, quam. — [l] oe, commoveri. — [m] oe, culpandum. — [n] mlh, insipientes.

[1] Exod. cp. XXVI, XXVII et XXVIII. — [2] Exod. XX, 5.

aliae creaturae, a quibusdam errantibus divinis honoribus adorata sint et culta: qui error non auctori[a] bonorum ascribendus est, sed daemonum persuasioni et hominum consensui iniquo, qui bonis abuti in malum[b] didicerunt. Notandum vero, quod sicut quidam easdem imagines ultra quam satis est venerantur, ita alii, dum volunt cautiores caeteris in religione videri, illas ut quasdam idolatriae species respuunt[1] et praesumptionis fastu simplicium corda scandalizant. Huius rei quaestio apud Graecos saepe tantas contentiones excitavit, ut sub Gregorio papa iuniore Constantinus imperator[2] apud Constantinopolim omnes imagines deposuerit; et sub Gregorio tertio Romae syndodus sit facta[3] contra supradictam, ut dixerunt, haeresim, in qua firmatum est, ut sanctorum imagines secundum priscum catholicae ecclesiae usum[c] restituerentur. Ipsa denique querela Graecorum temporibus bonae memoriae Ludovici imperatoris in Franciam[d] perlata, eiusdem principis providentia scriptis synodalibus est confutata.[4] Quam etiam Claudius quidam, taurinensis episcopus[5], sed in veritatis itinere nominis sui

[a] M[1], actori. — [b] oe, in malum abuti. — [c] oe, ritum. — [d] M[1], infantiam!

[1] Cfr. „absurdum illud et impium evomuit (Leo Isaur.), imaginum picturas formam quamdam idolorum retinere.“ Baron. ad ann. 726. n. 4. — [2] Leo III Isaur. (717—741) anno 726 imaginum cultum abrogare incepit; Constantinus V. autem, cognomine Copronymus, eius filius, imperator (741—775) destructionem imaginum persecutus est. — [3] Iam ipso initio iconoclasmi sub Gregorio II anno 727 Romae synodum factam esse, constat; plures autem celebrabantur sub Gregorio III, cfr. Hefele, Conciliengeschichte Bd. III ed. 2. p. 405; qui (l. c. p. 366 sqq.) de origine iconoclasmi praecise et lucide disseruit. — [4] Haec scripta synodalia redacta in conventu Parisiensi anno 825 legatis Michaelis Balbuli, imperatoris byzantini, auditis vide Mansi t. XIV, p. 421, 461, 463, 466. — [5] Claudius episcopus taurinensis (815—825), discipulus Felicis Urgellitani et obstinatus iconeolasta in scriptis suis arroganter declamavit, omnes Galliae et Germaniae fideles idololatriae vanarumque superstitionum

similitudine nutabundus, inter caeteras vanitatum suarum ineptias cupiens renovare, antequam diversorum contra eum scribentium iaculis perfoderetur[1], suo iudicio damnatus interiit; et fortasse, qui imperatoris fidelium veluti in nummo[a] contempsit[b] imaginem, ante tribunal ipsius protervitatis suae pariter et inquietudinis poenas exolvit. Non enim[c] levem iniuriam saeculi potentes sibi putabant illatam, si imaginem suam vel nomen in quolibet nomismate[d] a subiectis despici cognoverint et calcari. Non autem, quia populus Israhel in deserto vel Hieroboam rex vitulorum fabricatione Deum offenderant[2], serpens aeneus, quem ex iussu Domini Moyses fecit, contemnendus erat, quippe cum percussi a veris[e] serpentibus imaginarii serpentis contemplatione sanarentur[3], quem, quia populus semper ad idolatriam[f] proclivis postmodum quadam superstitiosa veneratus est religione, Ezechias, rex Juda[4] religiosissimus, legitur fregisse.[g] Ergo cum christianus populus tanta sit in divinis rebus docilitate in interiora sapientiae spiritalis inductus cellaria[5], ut, non dicam picturas[h] et imagines, sed ne ipsos quidem sanctos homines, vivos vel mortuos, divinis credat colendos honoribus vel adorandos. Rogamus enim sanctos, non ut ipsi praestent per se, quae saluti nostrae necessaria sunt, sed ut ab auctore bonorum, a quo est *„omne datum optimum et omne donum perfectum“*[6],

[a] mlh, numero. — [b] ml, conscripsit. — [c] M[1], etenim. — [d] oe, numismate. — [e] M[1], severis. — [f] M[1], in idolol. — [g] M[1], confregisse. — [h] oe, picturam.

laqueis irretitos esse. Refutatus est a pluribus viris ecclesiasticis in nota sequenti nominatis.

[1]) Errores Claudii refutabant Theutmirus, abbas Psalmodiae (Dioc. Nismes) et Jonas, episcopus aurelianensis (825—843), in tractatu suo: De cultu imaginum lib. III (biblioth. PP. max. t. XIV); Migne s. l. t. 106. — [2] Exod. XXXII, 4 sqq. III Reg. XII, 28 sqq. — [3] Num. XXI, 6 sqq. — [4] IV Reg. XVIII, 4. — [5] Supplendum videtur fit sive sequitur. — [6] Jacob I, 17.

utpote illi proximiores meritis et ideo certius audiendi impetrent, quae saluti petentium oportuna non nesciunt. Deum autem oramus, ut sua bonitate gratuita meritis et intercessionibus sanctorum, quae nobis iudicat commoda largiatur. Et huic quidem ut Deo, Domino, iudici, creatori, omnipotenti et salvatori supplicamus, illos vero ut Dei amicos, Domini famulos, patronos vere honoratos et pleniter salvatos in adiutorium vocamus.[a] Tales esse preces fidelium, qui publicas ecclesiae orationes considerare norunt, dubitare non poterunt.[b] Cum itaque talis sit christiani perfectio sensus, non sunt omnimodis honesti et moderati imaginum honores abiciendi. Si enim ideo, quia novimus non adorandas nec colendas iconas, conculcandae sunt et[c] delendae picturae quasi non necessariae vel nocivae; ergo et quia credimus, quod creator omnium, qui ubique est et caelum et terram implet, non habitet[d] in manufactis, destruenda sunt templa, ne videamur parietibus et tectis inclusum credere creatorem. Sicque poterit evenire, ut dum cavemus, ne uspiam sit aliquid, ubi insipientium mens possit errare, nihil pene habeamus, quo vel devotionem nostram exerceamus vel simplices et ignaros ad amorem invisibilium trahere valeamus. Quantum autem utilitatis ex picturae ratione proveniat, multicipliter patet. Primum quidem, quia pictura est quaedam litteratura inliterato, adeo, ut quidam priorum legatur ex picturis didicisse antiquorum historias. Deinde, ut brevitatis causa praetermittam plurima, in gestis Silvestri papae legitur, Constantinum imperatorem per thoracidas apostolorum, quod ipsos in visione viderit, cognovisse. Et videmus aliquando simplices et idiotas, qui verbis vix ad fidem gestorum possunt perduci, ex pictura passionis dominicae vel aliorum mirabilium ita compungi, ut lacrimis

---

[a] M[1], invocamus. — [b] m; potuerunt. — [c] mlh, om. et. — [d] oe, habitat.

testentur, exteriores figuras cordi suo quasi lituris[a] impressas. Ergo[b] sicut *omnia munda mundis*[1], coinquinatis autem et infidelibus nihil mundum[c], quia coiquinata[d] sunt eorum et mens et conscientia, ita malis omnes viae offensionibus[e] plenae sunt; et sicut boni etiam malis bene, sic mali etiam bonis male utuntur.

Sic itaque imagines et picturae habendae sunt et amandae, ut nec despectu utilitas adnulletur, et haec inreverentia in ipsorum, quorum similitudines sunt, redundet iniuriam, nec cultu immoderato fidei sanitas vulneretur, et corporalibus rebus honor nimie impensus arguat nos minus spiritalia contemplari.

IX.

De templis et altaribus dedicandis.

Quod templa Dei dedicatione solemni consecranda sint, exemplis antiquorum et congrua ratione docemur, quia et Jacob patriarcha erexisse lapidem legitur et oleo desuper fuso unxisse eum et vocasse domum Dei, itemque[f] super altare erectum invocasse fortissimum Deum Israhel.[2] Tabernaculum autem Moyses et Salomon templum celeberrimis dedicationibus consecrasse leguntur[3], unde in testimonium divinae ostensionis et visitationis ignis de caelo descendens oblata consumpsit et supra utramque domum fumus ac nebula divinae protectionis apparuit. Notandum vero quod non tantum in prima constructione templi dedicatio est

[a] m, litteris. — [b] M[1], igitur. — [c] M[1], est mundum. — [d] oe, inquinatae. — [e] oe, offensionis. — [f] oe, idemque.

[1] Tit. I, 15. Rom. XIV, 20. — [2] Genes. XXVIII, 18 sq. XXIII, 20. — [3] Exod. XL. III Reg. VIII.

celebrata, sed etiam secundo vel tertio post eversionem et profanationem eiusdem templi propter peccata populi a gentibus perpetratam, cum reaedificatum sub Zorobabel sive sub Machabeis fuisset purificatum, iterata dedicatio est[a] subsecuta.[1] Unde ea, quae novissime facta est hiemis tempore, usque ad tempora passionis Christi observata cognoscitur, sicut scriptum est in evangelio Joannis: *facta sunt encenia in Hierosolimis, et hiems erat et reliqua*[2]; nam caeterae duae aliis anni temporibus factae, septimo videlicet et primo mense narrantur. Invenitur etiam concilio agathensi statutum, ut altare ungatur et benedicatur.[3] Haec quidem et alia exempla dedicandorum habemus templorum et altarium, non minus ad hanc observantiam probabili ratione perducti. Si enim pagani templa et statuas, erroris sui testimonia, daemoniis deceptoribus suis per quaedam potius[b] exsecramenta, quam sacramenta devovere et dedicare noscuntur, ut et suam devotionem diis, quibus placere desiderant, artius[c] insinuent, et ad se invisendos daemonum gratiam hac familiaritate sibi concilient, sicut legitur Nabuchodonosor, rex Babylonis, fecisse dedicationem statuae, quam erexerat in campo Duran[4], quare non potius nos templa et altaria, nostrae religiositatis indicia, Deò salvatori nostro, per inlibata et vera[d] sacramenta dedicare curemus, ut et cum nostrae devotionis officiis divinae maiestati placeamus, et ipse nos semper invisere et mansionem sibi in nobis facere dignetur, qui per prophetam dicit: *pavete ad sanctuarium meum*[5], et reliqua?

---

[a] oe, om. est. — [b] oe, magis. — [c] ml, arctius. — [d] ml. vestra.

---

[1] I Mach. IV, 36 sqq. II Mach. X, 1 sqq. — [2] Ioann. X, 22. — [3] Concilium agathense anno 506 constituit can. 14: „Altaria placuit non solum unctione chrismatis, sed etiam sacerdotali benedictione sacrari.“ Mansi t. VIII, p. 327. — [4] Dan. III, 1 sqq. — [5] Levit. XXVI, 2.

X.

Quid fieri debeat in locis Deo consecratis.

Quid autem fieri debeat in locis Deo consecratis, dominus per prophetam et per seipsum manifestat dicens: „*domus mea domus orationis vocabitur cunctis gentibus*“ [1], et psalmista [2]: „*introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo*“ [a]. et multa his similia. Angelorum etiam praesentiam in locis talibus haberi et Iacob agnovit, quando scala in Bethel [b] erecta [c] vidit angelos ascendentes et descendentes [3], et David testatur dicens: „*in conspectu angelorum psallam tibi et adorabo ad templum sanctum tuum.*“ [4]

Vota etiam et sacrificia in his Deo offerri debere et lex Moysi pleniter docet et psalmista commemorat: „*vota mea,* inquiens, *Domino reddam in conspectu omnis populi eius*“ [5] etc. Doctrinae quoque verbum populo in ecclesia dispensari et Moyses ostendit, cum ad ostium tabernaculi mandata domini populo exposuit, et ipse Dominus in templo duodennis inventus est in medio doctorum sedens [6] et creberrime in evangelio reperitur in templo sermonem fecisse, sicut et in passione sua fatetur, se palam in sinagogis docuisse et in templo, quo omnes Judaei conveniunt. [7] Sed et Petrus cum Ioanne in templo oravit, et Paulus vota persolvit [8], et omnes apostoli docuerunt. Unde cum eadem domus Dei oratorium dicatur, potest et a deprecationibus in ea faciendis et a locutione doctrinae ita dicta putari,

[a] oe, om. in timore tuo. — [b] ml, Bethlehem. — [c] m, recta.

[1] Jes. 56, 7. Matth. XXI, 13. — [2] Ps. V, 8. — [3] Genes. XXVIII, 12. — [4] Ps. 137, 2. — [5] Ps. 115, 9. — [6] Luc. II, 46. — [7] Ioann. XVIII, 20. — [8] Act. III, 1 et XXI, 26.

quia oratio est[a] oris ratio, et non tantum humilis postulatio, verum etiam[b] rationabilis intellegitur hoc nomine locutio. Inde est, quod primi ordines[c] in ecclesia utuntur orariis[d], quia ad ipsos pertinet docendi officium; et publici declamatores ac sapientes dictionum compositores oratores vocantur. Baptismum quoque ibi convenientissime celebratur, quia ante tabernaculum labrum et ante templum mare ac decem luteres[e] positos[f] legimus, in quibus et oblaturi sacerdotes et victimarum carnes lavarentur.[1] Et dignum profecto est, ut in Christi templo christiani regenerentur.

XI.

Quid item non debeat.

Alia vero negotiorum carnalium in Deo consecratis aedificiis opera fieri non debere, ut non dicam, quae nusquam licent, sed et quaedam alia, quae alibi interdum veniabiliter[g] exercentur, inde semovenda[h] ipse Dominus[i] ostendit, cum zelo domus Dei ductus vendentes et ementes eiecit de templo[2] et per prophetam quodam loco queritur dicens: „*Dilectus meus in domo mea fecit scelera multa.*“[3] Apostolus quoque Corinthios in ecclesia dissensiones habentes itemque convivantes increpat dicens: „*Primum quidem convenientibus vobis audio scissuras esse*“[4] et reliqua, et in sequentibus[k]: „*Convenientibus ergo vobis in*

---

[a] oe, id est. — [b] oe, et. — [c] M[1], primordines. — [d] ml, oratoriis. [e] ml, lateres. — [f] M[1], positis. — [g] oe, venialiter; M[1], venerabiliter. — [h] oe, esse movenda. — [i] oe, Dominus ipse. — [k] oe, consequentibus.

---

[1] Exod. XXX, 18 sqq. III Reg. VII, 38. — [2] Ioann. II, 14 sqq. — [3] Ierem. XI, 15. — [4] I Cor. XI, 18 Πρῶτον μὲν γὰρ συνερχομένων ὑμῶν ἐν ἐκκλησίᾳ ἀκούω σχίσματα ἐν ὑμῖν ὑπάρχειν.

unum, iam non est dominicam caenam manducare. Unusquisque enim suam caenam praesumit ad manducandum, et alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Numquid domos non habetis ad manducandum et bibendum? aut ecclesiam Dei contemnitis, et confunditis eos, qui non habent"[1]? Et post multa subiungit: „*Itaque fratres mei, cum convenitis ad manducandum, invicem expectate. Si quis esurit, domi manducet, ut non in iudicium conveniatis.*"[2] Et superius de inordinatis orantium gestibus[a] praemittit: „*Hoc autem praecipio, non laudans, quod non in melius, sed in deterius convenitis.*"[3] Unde beatus pater Benedictus in regula monachorum praecipit, ut *oratorium hoc sit, quo dicitur, nec ibi quicquam aliud geratur aut condatur.*[4] Ubi ostenditur, culpabiles eos[b] esse, qui nulla necessitate coacti indigna ibi committunt, vel loca sancta in horrea et apothecas convertunt, cum in canonibus quoque saepius sit interdictum, ne in ecclesiis convivia vel prandia fiant, nisi quis itineris necessitate cogatur.

XII.

De orandi modis et distantia vocum.

Qualiter autem orandum sit, idem pater brevibus verbis et maxime istis concludit dicens[5]: „*Brevis et pura debet*

[a] M[1], gestis. — [b] oe, eos culpabiles.

[1] I Cor. XI, 20 sqq. — [2] I Cor. XI, 33 et 34. — [3] I Cor. XI, 17. — [4] Regula s. Bened. c. 52. — [5] Regula s. Benedicti cp. XX. „Si cum hominibus potentibus volumus aliqua suggerere, non praesumimus, nisi cum humilitate et reverentia: quanto magis Domino Deo universorum cum omni humilitate et puritatis devotione supplicandum est? Et non in multiloquio, sed in puritate cordis et compunctione lacrimarum nos exaudire sciamus. Et ideo brevis debet esse et pura oratio, nisi forte ex effectu inspirationis divinae gratiae protendatur."

esse oratio, et non in multiloquio, sed in puritate cordis et compunctione lacrimarum nos exaudiri sciamus"[1], et non in clamosa voce, sed in lacrimis et intentione cordis, et item: „*consideremus, qualiter in conspectu divinitatis et sanctorum angelorum (nos) esse oporteat, et sic stemus ad psallendum, ut mens nostra concordet voci nostrae.*"[2] Intellegamus ergo his exemplis, quid dominus in templis suis fieri velit vel quid prohibeat; qui et filios Heli propter scelera circa tabernaculum commissa punivit et Annam, matrem beati Samuhelis, in secreto cordis motu tantum labiorum sine strepitu vocis orantem in filii petitione exaudivit[3]; ipsumque Samuhelem, quia fideliter in domo domini ministravit, reprobato sene male pio[b], in prophetam, sacerdotem et ducem elegit, de cuius matre modestissima et in oratione discenda est instantia humilis et post orationem perseverantia salutaris. Legitur siquidem de illa, quia *vultus illius non sunt amplius in diversa mutati.*[4] Qui enim aut in oratione aliud quam debet petit, aut alio modo quam magister humilitatis insinuat, deprecatur, vel orare nescit vel minus quam potuit proficit. Qui vero peracta oratione vel ad malam consuetudinem vel ad nova facinora sine respectu mox prosilit, fructum orationis perdit. Nam quidam in oratione pectus pugnis pavimentant, caput contundunt, voces muliebri gracilitate summittunt, et in proximo vel verbis vel factis alios conturbare, et semetipsos non metuunt culpabiles exhibere. Hi nimirum contra iudicem, quem orando honorant, moribus pugnant. De vocum autem[a] differentia dicendum[c], illam esse divinis laudibus aptam, quae qualitercunque sonuerit, ex bono thesauro

---

[a] M[1], nos esse L. G. et oe, om. nos. — [b] oe, om. male pio. — [c] M[1], dicentium.

---

[1] Matth. VI, 7. — [2] Regula s. Bened. cp. 19. — [3] Cfr. I Reg. I, 10 sqq. — [4] I Reg. I, 18.

cordis profecta, internae intentioni concordat. Nam et in bono legitur vox alta, dum dicitur in dedicatione templi Salomonis, vox sacerdotum et levitarum in tubis et hymnis exclamantium longius sonuisse, et sancti martyres sub ara Dei voce magna clamasse leguntur.[1] Ubi quamvis intellegi possit, sicut et in aliis multis locis, illam esse magnam vocem, quae, quamvis sit sono humilis, ex bona devotione procedit, sicut ad Moysen dicit Deus: *„quid clamas ad me“*[2]? cum non legatur ibi aliquid clamasse, tamen bonum est et omni quieti[a] praeferendum, in laude[b] Dei decenter et simpliciter laborare. Cumque omne genus laudationis divinae secundum rationem exhibitae sit laudandum, illud probabilius est dicendum, quod habuerit vanitatis et iactantiae minimum. Lege libros confessionum sancti Augustini et invenies, quantum ille iudicaverit esse periculi in cantilenarum melodia[c] dulcedine.

XIII.

Quibus prosit divinus cultus et quibus non.

Sciendum sane, ita demum templorum et officiorum sacrorum Deo universorum creatori cultus esse acceptos, si hominum pectora, quorum causa[d] haec sibi exhiberi permittit vel iubet, ipsius inhabitatione fuerint digna. In vanum enim ligna et lapides poliunt, qui mores non componunt. Frustra dona et pecunias comportant, qui interius divinae subtilitatis oculum non placant. Nam quia Iudaei Dominum interius non audierunt, exteriora eorum con-

[a] hl, quiete; m, quieto. — [b] oe, laudem. — [c] oe, cum melodia. — [d] oe, ob causam.

[1] Apoc. VI, 10. — [2] Exod. XIV, 15.

tempsit et abiecit dicens per prophetam[a]: „*Reliqui domum meam, dimisi haereditatem meam*“ [1], et per se ipsum: „*relinquetur vobis domus vestra deserta.*“ [2] Ergo propter peccata hominum loca sacra a deo neglegi testis est arca ab allophilis capta [3], templum totiens eversum vel profanatum et multae christianorum ecclesiae nunc a barbaris vastatae vel subversae, nunc ignibus vel fulminibus desolatae, nunc terraemotibus vel turbinibus dirutae. Unde et Dominus per Hieremiam peccatori populo confidentiam vel maximam aufert dicens [4]: „*Nolite confidere in verbis mendacii dicentes: templum Domini, templum Domini, templum Domini est*“ etc. Non solum autem Dei protectionem, sed etiam angelorum custodiam et sanctorum curam a locis quondam sanctis discedere, cum prius habitatores vel cultores locorum a Deo discesserint, ex eo certum est, quod omnis militia sanctorum solio Dei assistit, et ubi Deus non fuerit, ibi esse non possunt. Secundum gratiae ostensionem dico, non secundum divinae potentiae immensitatem, qua[b] neque infernalibus deest, qui caelum implet ac terram. Scribit etiam[c] Iosephus, imminente propter peccata urbis excidio auditam fuisse custodum invisibilium vocem de interioribus templi: *transeamus ex his sedibus.* [5] Neque vero sacra loca illis prosunt, qui sanctitatem proiciunt, sicut nec loca horrida obsunt his, qui Domini gratia proteguntur. Nam et in praedicta Hierusalem subversione,

---

[a] oe, per prophet. dicens. — [b] oe, quia. — [c] oe, enim.

---

[1] Jerem. XII, 7. — [2] Matth. XXIII, 38. — [3] I Reg. IV, 11. — [4] Jerem. VII, 4. tertio: „Templum domomini est“ om. oe. — [5] Jos. De bello iud. l. VI, c. 5, 3 κατὰ δὲ τὴν ἑορτήν, ἣ Πεντηκοστὴ καλεῖται, νύκτωρ οἱ ἱερεῖς παρελθόντες εἰς τὸ ἔνδον ἱερόν, ὥσπερ αὐτοῖς ἔθος ἦν πρὸς τὰς λειτουργίας, πρῶτον μὲν κινήσεως ἀντιλαβέσθαι ἔφασαν καὶ κτύπον, μετὰ δὲ ταῦτα καὶ φωνῆς ἀθρόας· μεταβαίνωμεν ἐντεῦθεν.

omnibus malis attriti fusos[a] lacrimis oculos retorquentes[b] ad templum liberari non meruerunt, sicut scriptum est: „*Clamaverunt, nec erat qui salvos faceret, ad Dominum: nec exaudivit eos.*“ [1] Subiungitur enim in eodem psalmo, quo merito: „*Filii alieni mentiti sunt mihi*“ [2], et reliqua. Praesumptores ergo[c] et neglegentes in locis sanctis mulctantur, ut Nadab et Abiu offerentes ignem alienum [3]; item Core cum seditiosis ante tabernaculum igne Domini[d] devoratur [4]; Heli sacerdos in loco sancto fractis cervicibus expiravit [5]; Bethsamitae in conspectu arcae damnantur [6]; Oza[e] iuxta arcam[f] perimitur [7]; Ioab iuxta altare trucidatur [8]; Ozias sacerdotium indigne usurpans lepra perfunditur.[9] Econtra humiles et Dominum[g] timentes in locis infimis[h] et exitialibus iustitia tuente salvantur: Ioseph in cisterna non perit, in carcere non dimittitur[10]; Moyses in fluvio non necatur [11], Iob[i] de sterquilinio erigitur [12]; Hieremias de lacu caenoso sustollitur[13]; Daniel inter leones [14], tres pueri inter ignes inlaesi servantur[15]; Petrus liberatur de carcere [16], Paulus evadit de mari.[17] Et quid amplius dicam? iniquitas de caelo angelos deiecit, iustitia de inferno homines liberavit.

---

[a] M[1] et oe, suffusos. — [b] m, retorbuentes. — [c] oe, enim. — [d] oe, Dei. — [e] oe, om. Oza. — [f] ml, aram. — [g] oe, Deum. — [h] mlh, infirmis. — [i] m, Iacob.

---

[1] Ps. XVII, 42. — [2] Ps. XVII, 46. — [3] Levit. X, 1. — [4] Numeri XVI, 32. — [5] I Reg. IV, 18. — [6] I Reg. VI, 19. — [7] II Reg. VI, 7. — [8] III Reg. II, 28, 34. — [9] II Paralip. XXVI, 19. — [10] Genes. XXXVII, 24 sqq. XL, 3 sqq. — [11] Exod. II, 3 sqq. — [12] Iob XLII, 10. — [13] Ierem. XXXVIII, 6 sqq. — [14] Dan. VI, 16 sqq. — [15] Dan. III, 24 sqq. — [16] Act. XII, 7 sqq. — [17] Act. XXVII, 14 sqq.

XIV.

Iustas oblationes et magis virtutes quam corporalia munera Deum desiderare.

Postremo admonendi sunt[a] sacrarum structores aedium vel ornatores, ut suae devotionis affectum rebus iuste adquisitis ostendant, quia Dominus per prophetam testatur, *se odio habere rapinam in holocausto*[1]; et alibi scriptum est: *„qui offert victimam de rapina pauperis, quasi qui mactet filium ante patrem“*[2]; et in proverbiis: *„hostiae impiorum abhominabiles, quia offeruntur a scelere“*[3]; itemque: *„honora Dominum de tuis iustis laboribus“*[4], et reliqua. Meminerint[b] etiam, David regem noluisse accipere aream Areuna Iebusaei ad aedificandum altare domino ipso gratis dare volente, nisi prius[c] iusti pretii rependeret quantitatem.[5] Et revera non est remedium peccati, si contempto salutis praecepto ipsius signa contemptus obicias praeceptori. Deinde qui iuste quidem offert, sed maiora et utiliora legis mandata postponit, audit cum Cain: *„nonne si recte offeras, recte autem non dividas, peccasti? quiesce.“*[6] Qualibus salvator dicit: *„Vae vobis qui decimatis mentam et rutam*

[a] oe, om. sunt. — [b] oe, meminerit. — [c] oe, primum.

---

[1] Isai. LXI, 8. — [2] Sir. XXXIV, 24. Vulg. Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris. — [3] Proverb. XXI, 27. Θυσίαι ἀσεβῶν βδέλυγμα κυρίῳ· καὶ γὰρ παρανόμως προσφέρουσιν αὐτὰς. LXX. — [4] Proverb. III, 9. Honora Dominum de tua substantia et de primitiis omnium frugum tuarum da ei. Vulg. Τίμα τὸν κύριον ἀπὸ σῶν δικαίων πόνων. LXX. — [5] II Reg. XXIV, 20 sqq. — [6] Gen. IV, 7. Walafridum non ex versione latina, id est Vulgata allegasse, sed ex lingua graeca (LXX) transtulisse nemo negabit. Vulg. „Nonne si bene egeris, recipies, sin autem male, statim in foribus peccatum aderit.“ LXX: οὐκ ἐὰν ὀρθῶς προςενέγκῃς, ὀρθῶς δὲ μὴ διέλῃς, ἥμαρτες; ἡσύχασον.

et omne holus, et quae graviora sunt legis praeteritis, misericordiam, iudicium et veritatem."[1] Haec autem dicimus, non quo aedificantium et ornantium loca sancta devotionem culpemus, sed quo doceamus, elemosinam in pauperes huic praeferendam; quia, ut beatus Hieronymus ait: „*superstitiosum est, parietes auro fulgere, et Christum ante ianuas fame et nuditate torqueri.*"[2] Ipse enim ibi nos iubet *thesaurizare, ubi neque tinea nec aerugo demolitur, ubi fures non effodiunt nec furantur*[3]; et in iudicio veniens, non utrum ecclesias aedificassemus, sed utrum membris eius minimis profuissemus inquisiturus est.[4]

Haec quidem ornamenta *sanctum saeculare* apostolus nominat[5], quia sunt alia quasi sancta caelestia, sicuti sunt ornamenta animarum, quae, quo minus apud homines habent splendoris, tanto plus apud Dominum habent meriti et mercedis. Legitur etiam[a] de beato Gregorio papa, quod non sicut alii in extructione ecclesiarum laboraverit, sed in doctrina et elemosinarum largitate, quam non solum apud suos, verum etiam apud longe et in exteris provinciis positos, exercere curavit.[6] Si ergo in condendis

[a] oe, enim.

---

[1] Duo loci hic sunt intermixti. Luc. XI, 42. „Vae vobis Pharisaeis, quia decimatis mentham et rutam et omne olus, et praeteritis iudicium et charitatem Dei." Matth. XXIII, 23. „Vae vobis, qui decimatis mentham et anethum et cyminum, et reliquistis quae graviora sunt legis, iudicium et misericordiam et fidem." — [2] „Auro parietes, auro laquearia, auro fulgent capita columnarum, et nudus atque esuriens ante fores nostras Christus in paupere moritur." Hier. Ep. 128, ad Gaudentium c. 4 (5). Migne s. l. t. XXII, 1099. — [3] Matth. VI, 20. cfr. Luc. XII, 33. — [4] Matth. XXV, 40. — [5] Hebr. IX, 1. — [6] Walafridus in hac assertione Bedae Historiam ecclesiasticam respicere mihi videtur, quo in opere (lib. II, c. 1) ille de Gregorii Magni operibus laudabiliter disserens dicit: „Nam alii quidem pontifices construendis ornandisque auro vel argento ecclesiis operam dabant, hic autem totus erga animarum lucra vacabat. Quicquid pecuniae habuerat, sedulus hoc dispergere ac dare pauperibus curabat."

vel ornandis sacris aedificiis summa sanctitas esset, debuerunt earundem studiosissimi rerum aliis, qui minus his faciendis institerunt, meritorum praeminere distantia. Sed quia legimus, Moysen, tabernaculi structorem, ad aquam contra dictionis Dominum[a] offendisse[1], et idcirco ad terram repromissionis non pervenisse; Salomonem quoque post singularem templi mirabilis extructionem mulierum seductum amore Domini incurrisse offensam[2], unde et regni eatenus uniti potentia a semine eius discissa, in aliam tribum perniciosa divisione partim concessit, intellegimus et omni postposita dubietate fatemur, ita constructionem sacrarum aedium ex religiosa devotione laudandam, ut tamen virtutes, quae sunt spiritales structurae et animarum, in quibus Deus habitat, ornamenta perennia, his multum praelatas, quia terrena ornamenta, quantalibet formositate fingantur, sine virtutibus Deo vilescunt. Virtutes vero, quas et in angelis suis diligit, etiam sine materiali compositione semper sibi placere demonstrat, dicens per Michaeam prophetam: *„Indicabo tibi, o homo! quid sit bonum, et quid Dominus quaerat*[b] *a te: utique facere iudicium et diligere misericordiam et sollicitum ambulare cum Deo tuo.“*[3] Unde multos sanctorum et ante usum templorum sacrorum Deo placuisse[c], alios vero, postquam Deo per loca diversa sanctuaria sunt constituta, in desertis et squalentibus locis commorantes scimus omnipotenti Domino solis virtutibus militasse.

[a] m, Domini. — [b] M[1], requirat ut habet Vulg. — [c] oe, placuisse Deo.

[1] Num. XX, 12, 13. — [2] III Reg. XI, 1 sqq. — [3] Mich. VI, 8.

XV.

De oblationibus veterum.

Haec de sacrorum fabricis et usibus locorum nos pro modulo tarditatis et ignaviae nostrae commemorasse sufficiat; nunc de sacrificiis et oblationibus, quae in eis Deo exhibentur, quod ipse dederit, adiungamus. Abel et Cain primi Domino munera obtulisse leguntur: ille quidem de naturalibus ovium, quas pascebat, fetibus iste[a] de terrenis, quas arte et labore adquisivit, frugibus.[1] Sed dona amborum non una dignatione suscepta, quia dispari fuerant ratione oblata, testis est divini censura respectus et invidentis fraternae felicitati Cain usque ad homicidii reatum prolapsa dementia. Noe quoque post diluvium de mundis animantibus obtulit Domino in odorem suavitatis.[2] Abraham etiam et Iacob et patientiae Iob exemplar, sacrificia et holocausta Domino immolasse leguntur. Iam vero in lege quam multiplicia sint oblationum praecepta, ex ipsis libris discendum est, ubi quadrupedum et volucrum carnes et sanguis, terrae fruges et fructus arborum diversis modis offerri iubentur. Quae omnia cum legalium observationum umbris, licet evangelii veritatem sua praefiguraverint exhibitione, tamen infirmo et quasi carnem et sanguinem sapienti populo imposita sunt eatenus observanda, donec veniret dominus legis et prophetarum et omnia, quae de se fuerant apertis vel mysticis dictis praenunciata vel imaginariis victimarum, sacrificiorum et solemnitatum ritibus praesignata compleret; ita sane, ut inlucescente evangelii veritate, nec credentes ex Iudaeis ab illis observandis quasi

[a] oe, de terrenis iste.

[1] Genes. IV, 3 sqq. — [2] Genes. VIII, 20 sq.

rebus sacrilegis et prophanis prohiberentur, nec de gentibus ad fidem venientes ad ea suscipienda quasi saluti Christianorum necessaria cogerentur.

XVI.

De sacrificiis novi testamenti.

Itaque Christus, qui credentibus finis est legis, carnis dispensationem subiens, legis statuta utpote a Deo instituta[a] non respuit, quin potius in se ut terminaret explevit. Novi vero testamenti nova mysteria ad instruendum novum hominem tradidit, et morte sua vetera perficiens resurrectione sua nova firmavit. In caena siquidem, quam ante traditionem suam ultimam cum discipulis habuit, post paschae veteris solemnia corporis et sanguinis sui sacramenta in panis et vini substantia eisdem discipulis tradidit, et ea in commemorationem sanctissimae suae passionis celebrare perdocuit. Nihil ergo congruentius his speciebus ad significandam capitis atque membrorum unitatem potuit inveniri, quia videlicet panis[b] de multis granis aquae coagulo in unum corpus redigitur, et vinum ex multis acinis exprimitur, sic et corpus Christi ex multitudine sanctorum coadunata completur. Unde consulte a prioribus statutum est, ne vinum in sacrificio sine aquae admixtione offeratur, ut videlicet per hoc indicetur, populos qui secundum Ioannem aquae sunt[1], a Christo, cuius sanguis in calice est[2], dividi non debere. Ergo nec vinum sine aqua,

[a] oe, om. instituta. — [b] oe, sicut panis.

[1] Apoc. XVII, 15. Aquae, quas vidisti, ubi meretrix sedet, populi sunt et gentes et linguae. — [2] His verbis dogma transsubstantiationis praecise et distincte expressum esse nemo non videt, praesertim si con-

nec aqua sine vino offertur, quia nec Christus aliter quam pro populo suo passus est, nec aliter populus quam per passionem Christi potest salvari.

XVII.

Cur mutata sint per Christum sacrificia[a].

Quia vero Christus sacerdos esse dicitur secundum ordinem Melchisedec, quod apostolus Paulus copiosissime astruit[1], salva multiplicium ratione figurarum, quibus idem sacerdos Dei summi Iesum Christum filium Dei[b], qui semetipsum patri pro nobis obtulit, praenuntiasse[c] cognoscitur, congruum genus sacrificii Dominus noster, sacerdos verus, in corporis et sanguinis sui mysterium providere dignatus[2] est, ut videlicet, sicut Melchisedec ante circumcisionem et legis ceremonias vivens ex fide panem et vinum legitur obtulisse, ita ipse Dominus, pontifex factus secundum ordinem non Aaron, sed Melchisedec, iustus et iustificans eum, qui ex fide est, post expletionem legis easdem species sacrificii fidelibus suis tradidit, ne[d] dubitemus, nos[e] sine operibus legis iustificari per fidem, dum illos imitamur libertate fidei et devotionis, quos sine servitute legis coactitia[f] Deo cognoscimus placuisse per fidem. Ergo dum notus esset in Iudaea Deus, dumque in uno tabernaculi vel templi loco sacrificia deberent offerri, prae-

[a] Apud oe haec duo capitula sunt coniuncta, econtra habet M[1] hanc ipsam divisionem. — [b] oe, habent Iesus Christus filius Dei. — [c] oe, pronuntiasse. — [d] oe, nec. — [e] m, non. — [f] oc coactiva.

ferre velis plures alias sententias, quae inferius (cap. XVII, XVIII, XX et pass.) sequuntur.

[1] Hebr. VII, 1 sqq. — [2] Cfr. p. 38, cp. XVI, not. 2 et inf. cp. XVIII.

ceptum est vel potius permissum carnalibus, varias et sumptuosas oblationes exhibere, ut servilis religio gravibus desudaret[a] obsequiis; at vero postquam super omnem terram laudabile nomen Domini inluxit, dumque in omnibus locis et gentibus non speciale, sed generale sacerdotium geritur, tota fidelium unitate non in unum corporaliter locum, sed in unam spiritaliter fidem concurrente statutum est fidelibus, oblationes simplices Domino consecrare, quae et veritatem mysterii continerent et filios adoptionis nulla sumptuum difficultate comprimerent. — Non est autem discutiendum ratione mortalium, cur haec vel illa, isto vel illo tempore, quasi diversa et discrepantia Ille, qui semper idem est et mutari non potest, statuerit vel iusserit, cum ipsorum conditor et ordinator temporum, quicquid in tempore fit, non temporali sapientiae suae ratione, sed aeterna iuste, convenienter et utiliter, quamvis saepius occulte, disponat. Notandum tamen, quod non de maioribus, fortioribus, sanctioribus, utilioribus ad minora, infirmiora, viliora, inutiliora genus humanum vocaverit, sed sicut persona filii servis praemissis, vel angelis videlicet vel hominibus, naturae suae praeminet maiestate, sic ipse in carne adveniens illis maiora instituit, et a carnalibus ad spiritalia, a terrenis ad caelestia, a temporalibus ad aeterna, ab imperfectis ad perfecta, ab umbra ad corpus, ab imaginibus ad veritatem docuit transeundum.

---

[a] m, desuaderet.

XVIII.

De virtute sacramentorum et cur ab eis criminosi suspendantur.

Igitur cum ipse filius Dei dicat: *caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus*[1], ita intellegendum est, eadem redemptionis nostrae mysteria et vere esse corpus ac[a] sanguinem domini[2], ut illius unitatis perfectae, quam cum capite nostro iam spe, postea[b] re tenebimus, pignora credere debeamus[c]. Inde et sacramenta a sanctificatione vel secreta virtute dicuntur, unde etiam criminum foeditate capitalium a membrorum Christi sanitate[d] deviantes ab ipsis sacramentis ecclesiastico suspenduntur iudicio. Qui enim corpus et sanguinem Domini digne manducat et bibit, designat, se esse in Deo et Deum in eo; qui vero medicinam vel non habet vel ea indigne utitur, longe se a medico esse languendo testatur; non enim mentitur qui dicit: *„nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis“*[3], et reliqua. Sciendum vero[e], a sanctis patribus ob hoc vel maxime constitutum, ut mortaliter peccantes a sacramentis dominicis arceantur, ne indigne ea percipientes vel maiori reatu involvantur ut Iudas, quem post panem temere a Magistro susceptum diabolus dicitur plenius invasisse, ut crimen, quod prius scelerata praemeditatione conceperat, iam sceleratissimo consummaret effectu; vel ne, quod apostolus de Corinthiis dicit[4], infirmitatem corporis et in-

[a] oe, et. — [b] m, postera. — [c] oe, debemus. — [d] oe, a membris Christi deviantes. — [e] oe, enim.

[1] Ioan. VI, 56. — [2] Cfr. superius cp. XVI, nota 2, cp. XVI et cp. XVII, p. 38 sq. — [3] Ioann. VI, 54. — [4] Ab his verbis usque ad finem capituli XXI in cod. M[1] lacuna est.

becillitatem ipsamque mortem praesumptores incurrant, et ut a communione suspensi terrore eiusdem[a] exclusionis et quodam condemnationis anathemate compellantur, studiosius poenitentiae medicamentum appetere et avidius recuperandae salutis desideriis inhiare.

XIX.

Quid offerendum sit in altari.

Quamvis autem eorundem sacramentorum[b] usus ab ipso Domino traditus et ab apostolis apostolicisque viris in totam ecclesiae catholicae latitudinem sit transmissus, tamen primis temporibus quosdam alia quaedam genera oblationum offerre solitos intellegimus ex canonibus et maxime apostolorum, in quorum tertio capitulo ita scribitur[1]: „*Si quis episcopus aut presbyter praeter ordinationem Domini alia quaedam in sacrificio offerat super altare, id est aut mel aut lac aut pro vino siceram aut confecta quaedam aut volatilia aut animalia aliqua aut legumina, contra constitutionem Domini faciens, congruo tempore, deponatur*“;

[a] oe, eius. — [b] m, sacramentum.

[1] Sequentes duo canones, qui apostolorum dicuntur, hic a Walafrido exhibentur secundum recensionem Dionysianam, quae aliqualiter discrepat a textu graeco genuino. Can. III. Εἴ τις ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος παρὰ τὴν τοῦ κυρίου διάταξιν, τὴν ἐπὶ τῇ θυσίᾳ προςενέγκῃ ἕτερά τινα ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον, ἢ μέλι ἢ γάλα ἢ ἀντὶ οἴνου σίκερα ἢ ἐπιτηδευτὰ ἢ ὄρνεις ἢ ζῶά τινα ἢ ὄσπρια, ὡς παρὰ τὴν διάταξιν κυρίου ποιῶν, καθαιρείσθω, πλὴν νέων χίδρων ἢ σταφυλῆς, τῷ καιρῷ τῷ δέοντι. Μὴ ἐξὸν δὲ ἔστω προςάγεσθαί τι ἕτερον εἰς τὸ θυσιαστήριον, ἢ ἔλαιον εἰς τὴν λυχνίαν καὶ θυμίαμα τῷ καιρῷ τῆς ἁγίας προςφορᾶς. De antiquitate, origine et argumentis horum canonum cfr. *Drey*, Neue Untersuchungen über die Constitutionen und Kanones der Apostel. Tübingen 1832, p. 203 sqq. *Hefele*, Conciliengeschichte I. Bd. 2. Aufl. Freiburg 1873, p. 793 sqq.

et in quarto: *„offerri non liceat aliquid ad altare praeter novas spicas et uvas, et oleum ad luminaria, et thimiama id est incensum, tempore quo sancta celebratur oblatio.“* Dum ergo quaedam prohibentur, offerri ostenditur ea a quibusdam licet extraordinarie oblationibus adhibita, unde Euticianus, vicesimus octavus[1] sedis romanae praesul, constituit[2]: fruges super altare tantum fabae et uvae benedici, et haec idcirco fortasse, quia vino sanguinis dominici mysterium celebratur, faba vero abstinentium cibus est. Alias autem diversarum species rerum statutum est ubilibet benedici a sacerdotibus, vel si ad altare benedicenda quaelibet deferantur, speciali benedictione a consecratione dominicorum sacramentorum omnimodis discernenda, ut, sicut pro innumeris legis mandatis breviatum evangelii verbum Dominus fecit super terram, ita pro diversis sacrificiorum ritibus simplex oblatio panis et vini fidelibus sufficiat, qui non in multitudine umbrarum apparituram quaerunt veritatem, sed eam in manifestatione factorum tenent perspicuam. Unde quorundam simplicium error de iudaicarum superstitionum seminario natus et ad nostra usque tempora quaedam vetustatis vestigia extendens, iam ex magna parte sapientium studio compressus est, et sicubi adhuc

[1] Recte XXVII. Ordo Pontif. Roman. quem recenset Walafridus, falsus est, quia ipse, uti tunc et usque ad nostra fere tempora moris erat, distinguit inter Cletum et Anencletum. Cfr. Duchesne, Liber pontif. Introduct. p. 69. — [2] De Eutichiano, papa 275—283, refert liber pontificalis: „Hic constituit, ut fruges super altare tantum fabae et uvae benedici.“ Duchesne, Liber pontif. I, p. 159. In sacramentario gelasiano (Murat. liturgia romana uetus I, 588 et 746) exhibetur oratio ad fruges novas benedicendas in festo Ascensionis Domini sequentis formulae: „Benedic, Domine, hos fructus novos uvae sive fabae: quos tu, Domine, per rorem caeli et inundantiam pluviarum et tempora serena atque tranquilla ad maturitatem perducere dignatus es ad percipiendum nobis cum gratiarum actione, in nomine Domini nostri Iesu Christi, per quem haec omnia Domine semper bona.“

perniciosum huius pestis germen revirescere fuerit comprobatum, mucrone spiritali radicitus est amputandum, illum dico errorem, quo quidam[a] agni carnes in pascha iuxta vel sub altari eas ponentes benedictione propria consecrabant et in ipsa resurrectionis die ante ceteros corporales cibos de ipsis carnibus percipiebant, cuius benedictionis series adhuc a multis habetur. Quod quam sit supervacuum et a sacramentis christianae perfectionis abhorrens, facile perspicit qui veraciter intellegit, quod *„pascha nostrum immolatus est Christus“*, et vult epulari *„non in fermento veteri, sed in azymis sinceritatis et veritatis.“*[1]

XX.

Non ab aliis quam a ieiunis communicandum.

Hoc quoque commemorandum videtur, quod ipsa sacramenta quidam interdum ieiuni, interdum pransi percepisse leguntur, ut legitur in canonibus concilii africani[b] capitulo VIII his verbis: *„ut sacramenta altaris non nisi a ieiunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniversario, quo caena Domini celebratur“*[2] et reliqua. Isti quidem eo die post prandium communicandum esse censebant, quia Dominus post legalis paschae caenam novi testamenti sacramenta legitur discipulis tradidisse. Alii vero secta quadam singulari non semel in anno sicut superiores, sed crebrius ante sacramentorum perceptionem cibis corporalibus refici debere iudicantes, post prandia et plenitudinem stomachi quasi confirmaturi[c] sacris rebus necessitatem corpoream[d]

[a] c. quidem. — [b] S.G. habet concilio africano. — [c] oe, confirmati. — [d] oe, necessitate corporea.

[1] I Cor. V, 7, 8. — [2] Concil. hipponense ann. 393 can. 28. Mansi t. III, 923.

communicabant, ut testatur Socrates in historia sua ecclesiastica, ubi de diversis ecclesiarum consuetudinibus faciens mentionem post multas ieiuniorum et solemnitatum varietates haec inter cetera ponit: „*Sed etiam circa celebritatem collectarum quaedam diversitas invenitur. Nam dum per ecclesias in universo terrarum orbe constitutas, die sabbatorum per singulas ebdomadas sacrificia celebrentur, hoc in Alexandria et Roma quadam*[a] *prisca traditione non faciunt. Aegyptii vero, Alexandriae vicini et Thebaidis habitatores, sabbato quidem collectas agunt, sed non, sicut moris est*[1], *sacramenta percipiunt; nam postquam fuerint epulati et cibis omnibus adimpleti, circa vesperam oblatione facta communicant*“[2]; et paulo inferius: „*In Antiochia vero Syriae altare non ad orientem ecclesiae, sed magis ad occidentem habent*“[3], de qua re etiam nos quaedam[b] superius disseruimus.[4] Et hoc quidem, quod in[c] singulis sabbatis isti post prandium vel caenam communicabant, qua autoritate facere[d] voluerint, non adeo liquet. Illud vero, quod superiores in anniversario caenae dominicae pransi communicare permissi sunt, ex occasione supra exposita emersisse videtur. Sed a sequentibus honesta et rationabili deliberatione statutum esse cognoscitur, ut omni tempore a ieiunis sacrosancta mysteria celebrentur. Non enim ideo prius prandere et postea communicare debemus, quia Dominus completor legis et[e] auctor gratiae prius legale pascha perfecit, deinde evangelica sacramenta instituit, sicut nec prius corporaliter cogimur circumcidi et postmodum baptizari, cum sciamus dominum nostrum

[a] oe et S.G. quidem. — [b] oe, quidem. — [c] oe, et hi quidem, inquit. — [d] oe, id facere. — [e] oe, om. et.

[1] Socrat.: οὐχ ὡς ἔθη ἐστὶ χριστιανοῖς, τῶν μυστηρίων μεταλαμβάνουσιν. — [2] Cassiodorus, Hist. tripart. l. IX, c. 38. Migne s. l. t. 69, p. 1155. Socrat., ed. Vales. l. V, c. 22, p. 286 et 287. — [3] l. c. — [4] Cfr. cap. IV, p. 9 sqq.

factum ex muliere, factum sub lege[1], primo secundum legis statuta circumcisum, ac deinceps ad expletionem omnis iustitiae lavacri salutaris subisse nobisque consecrasse primordia. Ergo a ieiunis semper celebrari debere eadem sacramenta et generalis totius iam comprobat usus ecclesiae et edicta[a] synodi bracarensis ostendunt[2], ubi etiam supra memorata in die caenae dominicae communicatio post solutum ieiunium anathematis interpositione absciditur. Si itaque illo die post prandium communicare non licet, cui et exemplum Domini et quorundam assensus suffragari videbatur, multo minus aliis temporibus licet, quibus horum neutrum cognoscitur attributum. Hoc autem ita fieri non solum honestas sobrietatis, per quam receptacula pectorum tantae sanctitati percipiendae praeparari convenit, ne si *indigne sumatur in iudicium transeat medicina*[3], sed etiam ratio necessitatis magna poscebat, quia videlicet prandentes ante communicationem proficiente, ut adsolet, in peius mala consuetudine de parvis refectionibus usque ad ebrietatis ingluviem[b] interdum prolapsos credibile est; et quid tam absurdum, quam tunc spiritalem atque vitalem percipere victum, cum ex nimietate ingestorum nec corporalia alimenta potest crapulatus honeste tractare? Apostolus autem praecipit dicens: „*omnia vestra*[4] *honeste et secundum ordinem fiant.*“[5] Quae moderationes, quamvis in singulis sanctorum operibus necessariae sint, tamen etiam atque etiam in sanctissima[c] sanguinis et corporis

[a] oe, dicta. — [b] S.G. incluviem. — [c] oe, sanctissimi.

[1] Galat. IV, 4. — [2] Synodus bracarensis II anno 563 Kal. Maii celebrata can. XVI constituit: „Si quis quinta feria paschali quae est coena domini, hora legitima post nonam ieiunus in ecclesia missas non tenet, sed secundum sectam Priscilliani festivitatem ipsius diei ab hora tertia per missas defunctorum soluto ieiunio colit, anathema sit.“ Mansi t. XI, 776. — [3] Cfr. I Cor. XI, 29 et superius p. 41. — [4] vestra a Walafrido additum est. — [5] I Cor. XIV, 40.

Domini veneratione debent servari, ut videlicet honeste, hoc est humiliter, pacem et caritatem in corde tenentes, ieiuni et sobrii cum munditia corporis et cordis, quantum fieri potest, ipsa sacramenta contingamus; secundum ordinem autem, ut sanctificationem eorum a cibis ceteris, utpote animae vitam significantium, longe distare sciamus, et primo horum consolatione refecti, deinde corporis sustentacula capiamus. Quod autem neque ante neque post communicationem in ecclesiis sit convivandum, et canones discrete et manifeste loquuntur et nos superius commemoravimus.[1]

XXI.

Quod alii rarius, alii crebrius, alii cotidie communicandum dicunt.[a]

Quia vero de[b] ratione sacramentorum pauca perstrinximus, videtur subnectendum, qualiter ad cotidianam celebrationem eorundem mysteriorum usus pervenerit. Et quam[c] multiplex est eius rei apud doctores relatio! colligimus[d] summatim, quae possumus, ita ut nomina singulorum auctorum propter prolixitatem non ponamus. Nihil vero conemur astruere, quod non vel ita legimus vel ex lectione coniectavimus vel veracium verbis percepimus vel usu insinuante cognovimus. Alii, ut ex patrum collationibus discimus, semel in anno communicandum censebant, ut videlicet diuturna praeparatione corpus et animam purificantes tandem ad communionem mensae caelestis digne pertingerent; et quidem[e] horum alii ipsam celebrationem

[a] oe, dicant. — [b] m, et. — [c] oe, quoniam. — [d] mlh, colligamus. — [e] M, equidem.

[1] Cap. XI.

annuam in die caenae dominicae faciebant, ut ibi solum sacramentorum gratia iteraretur illorum, ubi primitus est ostensa. Unde et ipsa die solvebant ieiunium[a], sicut in festis actitare solemus[b], et ante meridiem collectas explebant, quod in canonibus partim ostenditur et penitus prohibetur. Sed aliis cautioribus visum est, istos eo indigniores ad annuam suae observantiae[c] celebritatem pervenire, quo se putabant longa dilatione defecatos[d] quandoque ad sacrorum perceptionem satis dignos accedere, meliusque credebant, quamvis a minus[e] dignis, crebrius iterari[f] quae sancta sunt, quia talis est illa spiritalis medicina, ut et sanos adiuvet ad perseverantiam sanitatis et vulneratis subveniat ad redintegrationem virtutis; et eo dignius percipitur, quo percipientes per humilitatis custodiam substrati nunquam se ad eius perceptionem satis dignos arbitrantur. Qui autem tardius secundum iudicium spiritalium medicorum ipsi admittuntur medelae, ideo ad tempus abstinere debent, ne praepropere incongrua suis valitudinibus ingerentes medicamina gravius aegrotent, et quod aliis est reparatio, illis fiat damnatio. Alii omni dominica vel omni sabbato apud Orientem et Hispanias missas facientes commemorationem passionis dominicae omni septimana si facerent, sufficere credebant. Unde etiam orationem dominicam, quae ab ipsis[g], ut credimus, apostolorum temporibus, ante communicationem et panis fractionem dicebatur[1], quidam illo tantum tempore recitandam crediderunt, quo sacrificia celebrabant, quia panem illum, qui in eadem oratione pe-

[a] M, ieiunia. — [b] M, solebant. — [c] oe, observationis. — [d] M, defessos quoque ad. — [e] M, annuis dignis; oe, animus indignus sit. — [f] M, iterare. — [g] c, illis; mlh, ab ipsis apostolis, vel apostolorum temporibus.

[1] De orationis dominicae primis christianorum temporibus aestimatione cfr. Doctrina apostolorum, cp. VIII. Ed. Funk. Tubing. 1887. p. 24.

titur supersubstantialem intellegi non cotidianum voluerunt; et sic fiebat, ut qui semel per ebdomadam communicabant semel etiam orationem dominicam recenserent. Cyprianus autem cotidie dicendam esse ostendit dicens: „*itaque in oratione dominica panem nostrum id est Christum dari nobis cotidie petimus, ut qui in Christo manemus et vivimus, a sanctificatione et corpore eius non recedamus.*“ [1] Item Hilarius: „*et quia cotidiana oratio est, cotidie quoque panis vitae ut detur oratur.*“ [2] S. Aug. dicit: „*de cotidianis parvisque peccatis, sine quibus vita haec non ducitur, cotidiana oratio fidelium satisfacit errori.*“ [3] Superioribus quidem ita ut praedictum est complacuit, aliis vero non solum in dominicis et festis generalibus ut sunt nativitas, epiphania, pascha, ascensio Domini et pentecostes, verum etiam in nataliciis sanctorum divinorum munerum celebranda esse mysteria. Legitur enim Felix XXVII papa constituisse, ut super memorias martyrum missae celebrarentur [4]; sed et[a] beatus Gregorius papa in ordine LXVI praecepit, super corpus beati Petri apostoli fieri missas. [5] His ita observatis coeperunt iuniores tempore sequenti[b] ferias ieiuniorum augere[c] veraciter intellegentes, panem illum cotidianum

[a] oe, om. et. — [b] c, secuti. — [c] c, agere.

[1] Cypr. De dominica oratione cp. 18. Edit. Hartel, Vindobonae 1868, p. 280. — [2] „Quia quotidiana oratio est, quotidie quoque ut detur (sc. panis vitae et panis e coelo) oratur.“ Hil. fragmenta Migne s. l. X 725. — [3] „De quotidianis autem brevibus levibusque peccatis, sine quibus haec vita non ducitur, quotidiana fidelium oratio satisfacit.“ Aug. Enchirid. de fide, spe et charitate cp. 71. Migne s. l. 40, p. 265. „errori“ corruptela esse videtur, ex verbo „eorum“ (est enim etc.), quod immediate sequitur apud Aug. — [4] „Hic constituit supra memorias martyrum missas celebrare.“ Lib. pontif. *Duchesne* I 158, cfr. De *Rossi*, Roma sotteranea t. III, p. 489 sqq. — [5] „Hic fecit ut super corpus beati Petri missas celebrarentur.“ Lib. Pontif. Duch. I, 312, cfr. Bedae Hist. eccl. l. II, cp. 1.

et cotidie petendum et cotidie ab illis, quibus competit, offerendum et accipiendum. Quia vero Melchiades, XXXIII ordine Romae[a] praesulatum agens, statuit, ut nulla ratione dominico aut V feria ieiunium quis fidelium ageret, pagani enim his[b] diebus quasi ieiunia frequentabant[1], ideo beatus Gregorius supradictus in dispositione officiorum anni infra quadragesimam V feriam vacantem dimisit, ut quia festiva[c] erat veluti dominica etiam officio diei dominicae celebris haberetur. Quae V feria quam[d] postmodum coepit ut caeterae ieiuniis applicari Gregorius iunior statuit, eam missis et orationibus esse solemnem et undecunque colligens eiusdem diei augmentavit officia.[2] Cum igitur[e] Hebraei carnales suas oblationes cotidie ex iussione Domini celebrasse legantur, quare non christiani hostias suas spiritales cotidie offerant et in munimentum[f] suae salutis frequentent? Legimus etenim beato Gregorio, cuius supra fecimus mentionem, testante, Cassium narniensem episcopum[3] post ordinationem suam omni die sacrae oblationis

[a] M, romano. — [b] M, in his. — [c] M, festivitas. — [d] oe, quoniam. — [e] oe, ergo. — [f] mlh, monimentum; c, monumentum.

[1] „Miltiades (311—314) constituit nulla ratione dominico aut quinta feria ieiunium quis de fidelibus agere, quia eos dies pagani quasi sacrum ieiunium celebrabant.“ Iam *Doctrina apostolorum* praecepta promulgat de ieiunando certis diebus, dicit enim cp. VIII. „Ieiunia vero vestra ne fiant cum hypocritis; ieiunant enim secunda post sabbatum et quinta; vos autem ieiunate quarta et sexta.“ Paganos autem certis diebus hebdomadis ieiunasse nihil traditum est, nisi fortasse putat Manichaeos. — [2] Lib. pontif. I, p. 402 refert de Gregorio: „Hic quadragesimali tempore ut quintas ferias (ieiunium atque II red.) missarum celebritas fieret in ecclesias quod non agebatur, instituit.“ — [3] Martyrologium Romanum ed. Ratisb. 1874, p. 123, ad 29. Jun. dicit de hoc Cassio, episcopo 536—558: „Narniae sancti Cassii eiusdem civitatis episcopi, de quo sanctus Gregorius refert, quod nullus pene dies vitae eius abscedebat, quo omnipotenti Deo hostias placationis non offerret, cui et concordabat vita, quia cuncta quae habebat in eleemosinis tribuens, in hora sacri-

hostiam domino immolasse et eum[a] divina dignatione, ut solitis instaret operibus, commonitum ac magna promissionis gratia ad perseverantiam confortatum. Gennadius autem, massiliensis presbyter, in dogmate ecclesiastico quasi inter veteres et iuniores medius existens, id est cum adhuc alii dominicis tantum, iam quoque nonnulli cotidianis communicarent diebus, huiusmodi libramine sententiam suam temperat, ut cotidianam eucharistiae perceptionem nec laudare nec vituperare se dicat; omni vero dominica communicare, si capitalia peccata non prohibeant et mens in delectatione[b] peccandi posita non sit, hortatur. Apud Graecos quoque illi, qui duas dominicas vel tres sine communione transierint, excommunicari dicuntur. Quia vero venerabilis papa Sylvester, XXXIV[s] a beato Petro, ferias habere clerum docuit, ut sicut apud paganos feriae tantum dies aliquibus festis insigniti dicebantur, sicut etiam per Moysen dicitur: *Hae sunt feriae Domini*[1], ita christianis et maxime clericis omnes dies in ferias deputentur, videtur ratione plenissimum, ut per singulos dies sacris occupemur officiis et, quantum mentis vel corporis graviores maculae non obsistunt, panem et sanguinem dominicum, quibus sine

[a] oe, om. eum. — [b] M, voluntate.

ficii totus in lacrimis diffluebat.“ „Nam vir vitae venerabilis Cassius, Narniensis episcopus, qui quotidianum offerre consueverat Deo sacrificium seque in lacrymis inter ipsa sacrificiorum arcana mactabat.“ Gregor. M. Dialog l. IV, c. 56. Migne s. l. 77, p. 421. „Multi vestrum, fratres charissimi, Cassium Narniensem episcopum noverunt, cui mos erat, quotidianas Deo hostias offerre ita, ut pene nullus dies vitae eius abscederet, quo non omnipotenti Deo hostias placationis immolaret, cui cum sacrificio valde etiam concordabat vita. Nam cuncta quae habebat in eleemosinis tribuens, cum ad horam sacrificii venisset velut totus in lacrimis defluens semetipsum cum cordis contritione mactabat.“ Greg. Homil. in evang. 37, n. 9. Migne t. 76, 1279.

[1] Levit. XXII, 2.

vivere non possumus, iugiter[a] ambiamus et desiderio illius tuitionis potius quam praesumptione[1] nostrae puritatis sumamus imitantes primitivae ecclesiae studium salutare, de quo in actibus apostolorum ita scriptum est: „*erant autem perseverantes in doctrina apostolorum et communicatione fractionis panis et orationibus*“[2]; et infra: „*cotidie quoque perdurantes unanimiter in templo et frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione et simplicitate cordis, laudantes Deum*“[3]; et iterum: „*Omni autem die in templo et circa domos non cessabant docentes et evangelizantes Christum Jesum.*“[4] Nota quod dicit, prius eos fregisse panem ac deinde cibum sumpsisse.

XXII.

Utrum semel vel saepius in die offerre conveniat et communicare.

Diversitas autem quaedam inter sacerdotes oboriri solet, quia[b] est talis, qui semel tantum in die missam celebrare velit nimirum credens, idem mysterium passionis Christi cunctarum necessitatum esse generale subsidium, quia unus qui dominator et iudex est vivorum ac mortuorum, semel pro peccatis nostris mortuus est *ad multorum exhaurienda*[c] *peccata.*[5] Alius vero bis, ter vel quotieslibet eadem mysteria in die iterare congruum putat credens, tanto amplius Deum ad misericordiam flecti, quanto crebrius passio Christi commemoratur; et fortasse consuetudinem suam inde confir-

[a] c, gnaviter. — [b] c, quae. — [c] M, evacuanda.

[1] Hinc pergit cod. M[1]. — [2] Act. II, 42. — [3] Act. II, 46. — [4] Act. V, 42. — [5] Hebr. IX, 28.

mandam existimat, quia Romanorum usus habet, duas vel tres interdum unius solemnitatis facere missas ut in nativitate Domini salvatoris et aliquorum festis sanctorum; siquidem Thelesphorus, nonus in ordine romanae sedis episcopus, in natali Domini[1] noctu missas[a] celebrari constituit. Et revera non esse absurdum crediderim, si dum plures in una die faciendae sunt missae, unus sacerdos duas vel tres necessitate vel voluntate persuadente celebret potius quam quasdam dimittat. Ad hoc accedit, quod totius usus ecclesiae habet, saepius missas agere pro vivis et[b] pro defunctis pro elemosinis et aliis diversis causis, quod etiam officia his attributa testantur. In diebus itaque publica celebritate conspicuis aut illae diversarum rerum necessitates sunt intermittendae aut concurrentibus sibimet publica observatione et privata necessitate utriusque expletio suis est discernenda officiis vel, quod superius commemoravimus, una oblatione diversae causae sunt explendae. Fidelium relatione virorum in nostram usque pervenit notitiam, Leonem papam, sicut ipse fatebatur, una die[c] VII vel IX missarum solemnia saepius celebrasse, Bonifacium vero archiepiscopum et martirem semel tantum per diem missas fecisse, qui et non longe ante nostra fuerunt tempora et

[a] oe, habent tres missas, sed numerus „tres" est evidenter posterius interpolatus. Liber Pontif. dicit: „Hic (Telesphorus) constituit, ut natalem Domini noctu missas celebrarentur." Duch. I, 129. — [b] oe, om. et. — [c] c, om. una die.

[1] Festum nativitatis Domini a christianis celebratum esse, testes seculo quarto antiquiores inveniri non possunt. Primum commemorat hoc festum *Depositio martyrum* c. 336 composita, quae exhibet ad VIII Kal. Ian: „natus Christus in Betleem Iudeae." Duch. lib. pont. I, 11. Ambrosius quoque testatur, tempore Liberii papae (352—366) diem natalem domini iam celebratum esse (De virginit. III, 1), dum constat, diebus Clement. Alex., id est initio seculi tertii christianis hanc diem adhuc ignotum fuisse. Cfr. etiam *Cassel* Paul, Weihnachtsspiele, Bräuche und Aberglauben. Berlin 1861.

THE CHURCH DIVINITY SCHOOL of the PACIFIC LIBRARY

ambo tam scientia quam gradu praecipui. Itaque *unusquisque in suo sensu abundet*[1], dum fides concordet[a], ut nec saepius offerentes aestiment, Deum aliter petitiones non posse discernere nec semel hostias per diem immolantes putent, suae fidei subtilitatem potius quam superiorum devotionem divinis acceptam conspectibus.[b]

XXIII.

De ordine missae et offerendi ratione.

Quoniam igitur qualiter ad celebrationem cotidianam missarum solemnia pervenerint[c] qualitercumque monstravimus, hinc de officio missae quid, quando et a quibus statutum sit, quantum invenire potuimus, exponamus. Quod nunc agimus multiplici orationum[d], lectionum, cantilenarum et consecrationum officio, totum hoc apostoli et post ipsos proximi[e], ut creditur, orationibus et commemoratione passionis dominicae, sicut ipse praecepit, agebant simpliciter. Unde circa domos secundum[f] superius commemorata testimonia frangebant panem, quod etiam alia sententia Lucas declarat dicens: „*Una autem sabbati cum convenissemus ad frangendum panem*“[2] et reliqua. Et relatio maiorum est, ita primis[g] temporibus missas fieri solitas, sicut modo in parasceve paschae, quo[h] die apud Romanos missae non aguntur, communicationem[i] facere solemus, id est praemissa oratione dominica et, sicut ipse Dominus noster

[a] l, concodet; m, condocet. — [b] mlh, om. conspectibus. — [c] M, saepius celebrasse pervenerint. — [d] M, rationum. — [e] mlh, proximus. — [f] M[1], sicut superius. — [g] M[1], in primis. — [h] oe, in quo. — [i] M[1], ante communicationem.

---

[1] Roem. XIV, 5. — [2] Act. XX, 7.

praecepit, commemoratione passionis eius adhibita, eos[a] corpori dominico communicasse et sanguini, quos ratio[b] permittebat. Proficiente[c] dehinc religione eo[d] amplius aucta sunt a christicultoribus officia missarum, quo[e] vel pax prestita latius terminos propagavit ecclesiae vel sanctorum copia usu facta est convalescente frequentior. Quod et in sacrarum aedium constructione vel ornatibus ita provenisse iam diximus, non quod aliqui sequentium apostolis fuerint scientia vel religiositate maiores, sed quia illi maxime curabant ab infidelitate ad fidem, a tenebris homines ad lucem vocare et in veritate stabiles reddere, ipsa facilitate religionis melius quod volebant rudibus persuadere potuerunt; unde etiam, sicut legitur, credentes primo[f] de gentibus legalium pondere mandatorum deprimi noluerunt.[g] Multi itaque apud Graecos et Latinos missae ordinem, ut sibi visum est, statuerunt; et Romani quidem usum observationum a beato Petro, principe apostolorum, accipientes suis quique[h] temporibus, quae congrua iudicata sunt, addiderunt. Quorum morem[i] ideo in sacris rebus tam multae gentes imitantur[k], quia et tanti magisterii ex apice apostolico primordiis clarent[1] et nulla[1] per orbem ecclesia aeque ut romana ab omni faece[m] haerseon cunctis retro temporibus pura permansit.[2] Ambrosius quoque,

[a] M, eius. — [b] M, oratio. — [c] M, proficiscente. — [d] oe, om. eo. — [e] mlh, quod. — [f] oe, primi. — [g] mlh, voluerunt. — [h] c, quoque; l, quinque. — [i] M[1], morum. — [k] ml, mirantur. — [l] M[1], ut nulla. — [m] c, fere.

[1] Hic dicit Walafridus fere idem ac Irenaeus adv. Haer. III, 3. 2. — [2] Iam anno 680 scribit papa Agatho in epistula sua ad imperatores data de ecclesia romana: „cuius (redemptoris) annitente praesidio, haec apostolica eius ecclesia nunquam a via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est“; et alio loco: „quae per Dei omnipotentis gratiam a tramite apostolicae traditionis nunquam errasse probabitur nec haereticis novitatibus depravata succubuit, sed ut ab exordio fidei christianae percepit

mediolanensis episcopus, tam missae quam caeterorum dispositionem officiorum suae ecclesiae et aliis Liguribus ordinavit, quae et usque hodie in mediolanensi tenetur[a] ecclesia. Igitur ordinem missae romanae, ut possumus, exequamur. *Antiphonas ad Introitum* dicere Caelestinus papa XLV[1] instituit, sicut legitur in gestis pontificum romanorum, cum ad eius usque tempora ante sacrificium lectio una apostoli tantum et evangelium legeretur.[2] *Laetaniae* autem quae sequuntur, id est Kirie eleison et[b] Christe eleison, a Graecorum usu sumptae creduntur, quia et graeca sunt verba et ea ipsi Graeci saepius in suis iterant missis. *Ymnum autem angelicum,* in quo paucis verbis, quae[c] ab angelis circa nativitatem dominicam in laude[d] Dei sunt prolata, sequentes sancti patres ad communem sanctae et individuae trinitatis laudationem dulcissimas et congruentissimas dictiones addiderunt, ut, sicut eius principium a caelestibus est ordinatum ministris, ita etiam tota eius series divinis esset plena mysteriis: illum, inquam, ymnum ante sacrificium dici, Telesphorus IX.[3] Romanorum praesul constituit[4], ut ad tantae sanctitatis celebrationem

[a] M, continetur; mlh, tenentur. — [b] ml, om. et. — [c] oe, quaedam. — [d] oe, laudem.

ab auctoribus suis apostolorum Christi principibus, illibata fine tenus permanet.“ Mansi t. XI, p. 239 et 242. Labbe t. VII, p. 659 et 662.

[1] Recte XLIII. — [2] Lib. pont. refert: „Hic (papa 422—432) multa constituta fecit et constituit, ut psalmi David CL ante sacrificium psalli antiphonatim ex omnibus, quod ante non fiebat, nisi tantum epistula beati Pauli recitabatur et sanctum evangelium.“ Duch. I, 230. Econtra dicit Theodemarus, abbas casinensis, in epistula ad Carolum Magnum fine seculi octavi scripta: „cognoscat: necdum eo tempore (scil. sancti Benedicti) in Romana ecclesia, sicut nunc leguntur, sacras scripturas legi mos fuisse; sed post aliquo tempore hoc institutum esse, sive a beato papa Gregorio sive, ut ab aliis adfirmatur, ab Honorio.“ Jaffé, Biblioth. rer. germ. V monum. Carol. p. 360. — [3] recte octavus, papa c. 125—136. — [4] „Hic constituit, ut . . . . ante sacrificium hymnus diceretur ange-

congregatorum animi angelicae modulationis dulcedine mulcerentur. Sed in hoc loco quaeri potest, si idem ymnus huius papae temporibus ante sacrificium coepit dici, cur longo tempore post sub Caelestino legatur, tantum ante sacrificium lectionem apostoli et evangelium praecessisse, ut ille necessario de psalmis David antiphonas, quae ante ipsas lectiones cantarentur, praeposuisse videatur? Ubi respondendum est, vel constitutum quidem fuisse a Telesphoro, ut idem ymnus in capite missae diceretur, sed apud posteros ipsam eius constitutionem intermissam, donec a sequentibus[a] plenius totus ordo missae componeretur, vel ita statutum ab eo, ut ipse ymnus in summis festivitatibus et a solis episcopis usurparetur, quod etiam in capite libri sacramentorum designatum videtur et ideo scriptum esse usque ad tempora Caelestini, ante sacrificium lectiones tantum habitas, ut subintellegatur, quamvis ille ymnus interdum ante missas diceretur, ut praediximus, non fuisse tamen, quod iugiter in omnibus missis ab omnibus sacerdotibus ante lectiones poneretur, antequam idem Caelestinus antiphonas ad[b] Introitum dicendas instituit. Vel ita potuit evenire, ut idem Caelestinus: *sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus* et reliqua ante sacrificium dicere docuerit, quod nihilominus ymnus angelicus dici potest, quia princi-

[a] M et M[1] subsequentibus. — [b] M, om. ad.

licus, hoc est: „Gloria in excelsis Deo.“ Duch. I, 129; prima recensio habet appositionem „tantum noctu natale Domini“, quam omisit secunda redactio. Seculo nono Romae presbyteris non erat permissum, cantare „Gloria in excelsis“, nisi die Paschae. „Similiter etiam et a presbytero agitur, quando in statione facit missas, praeter *Gloria in excelsis Deo;* quia a presbytero non dicitur nisi in Pascha.“ Ordo Rom. I ap. Mabillon, Mus. ital. II, p. 17. Hic hymnus angelicus singularitas erat liturgiae romanae, in gallicana cantabatur initio missae canticum Zachariae: Benedictus Dominus Deus Israel. Luc. I, 68. Testimonium antiquissimum hymni angelici exhibent *Constit. apost.* l. VII, 47.

pium eius Esaias propheta Seraphim pronuntiasse commemorat[1], sed ab imperitis quibuslibet in eodem loco, ubi Telesphorus dicitur[a] ymnum angelicum ante sacrificium posuisse, additum sit *Gloria in excelsis Deo* putantibus, nullum alium intellegi ymnum angelicum, nisi quem angeli nato Domino cecinerunt; quae verba, id est *gloria in excelsis Deo*, si non essent posita in capitulo Telesphori, non nasceretur quaestio suprascripta et intellegeretur ymnus angelicus ille, qui ante actionem[b] cantatur. Huic assertioni videtur illud suffragari, quod legitur, Symmachum LIII[c] Romanorum praesulem constituisse, ut omni dominica vel nataliciis sanctorum *gloria in excelsis Deo* diceretur[2]: aut enim, sicut praediximus, illum ymnum Telesphorus non apposuit aut si fecit, statutum illius longo tempore imperfectum remansit. *Orationes* vero[d] quas *collectas* dicimus, quia necessarias petitiones earum compendiosa brevitate colligimus, id est concludimus, diversi auctores, ut cuique[e] videbatur congruum, confecerunt. Solebant enim non solum inter officia missae, verum etiam in aliis orationibus, conventibus[f] et collocutionibus, qui[g] caeteris aderant eminentiores brevi oratione opus concludere; quod et in sanctorum patrum exemplis agnoscimus, dum alii alios honorificentiae causa orationem[h] colligere postulabant. Et venerabilis doctor Augustinus in quibusdam sermonibus suis ad populum ita terminavit locutionem, ut diceret extremo: *conversi ad Dominum,* ubi intellegitur oratione subiuncta[i] communem petitionem ad Dominum direxisse.

[a] M, dicit. — [b] m, app. in parenthesi: id est canonem. — [c] l, leg. loco LIII alii, item m. — [d] oe, om. vero. — [e] oe, utcunque videbantur. — [f] M et oe, convenientibus. — [g] oe, quo. — [h] c, oratione; mlh, orationes. — [i] m. subita.

[1] Is. VI, 3. — [2] Symmachus papa 498—514. „Hic constituit, ut omne die dominica vel natalicia martyrum *Gloria in excelsis* ymnus diceretur.“ Lib. pontif. Duch. I, p. 263; cfr. sup. p. 57.

Sic[a] etiam nunc solent sacerdotes in conclusionibus nocturnae vel diurnae synaxeos orationes breves, id est collectas subiungere: sunt enim aliae[b] tales, ut non alibi quam circa sacrificii celebrationem sint dicendae, sunt vero aliae, quibus et in officio missae et non minus in aliis locis et temporibus[c] possumus uti. Crescente autem, sicut praediximus, religionis cultu divinae, crescebat etiam paulatim orationum et officiorum ecclesiae compositio multis et ex summa scientia et ex mediocri et ex minima addentibus, quae congrua rebus explicandis videbantur. Ideoque credimus conciliis[d] carthaginensi et milevitano statutum[1], ut preces et orationes a quibuslibet compositae, nisi probatae fuissent in concilio, non dicerentur; nam et Gelasius papa in ordine LI[2] tam[e] a se quam ab aliis compositas preces dicitur ordinasse et Galliarum ecclesiae suis orationibus utebantur, quae et[f] adhuc a multis habentur. Et quia tam incertis auctoribus multa videbantur incerta[g] et sensus integritatem non habentia, curavit beatus Gregorius rationabilia quaeque coadunare et seclusis his, quae vel nimia

[a] oe, sicut. — [b] oe, om. aliae. — [c] oe, om. et temporibus. — [d] M, concilio. — [e] oe, ita tam. — [f] ml, om. et. — [g] oe, hab. ut var. inserta.

[1] „Et quicunque sibi preces aliunde describit, non eis utatur, nisi prius eas cum instructione fratribus contulerit"; can. XXI, at non a concilio carthaginensi constitutus, ut falso asserit Walafridus, sed ab hipponensi anno 393 celebrato; Carthagine autem anno 397 repetitus est tantum. Cfr. Hefele, Conciliengesch. II. Bd. 2 A. p. 54, 57. Secunda synodus hic a Walafrido commemorata XI. carthaginensis est anno 407 celebrata, quae constituit can. IX: „Placuit etiam hoc, ut preces quae probatae fuerint in concilio sive praefationes sive commendationes seu manus impositiones ab omnibus celebrentur, nec aliae omnino contra fidem praeferantur; sed quaecunque a prudentioribus fuerint collectae, dicantur." Cfr. Hefele l. c. p. 101. — [2] Recte XLIX[s], pontificatum gessit ann. 492—496; „fecit etiam et sacramentorum praefationes et orationes cauto sermone et epistulas fidei delimato sermone multas." Lib. pontif. Duch. I, 255.

vel inconcinna videbantur, composuit librum qui dicitur sacramentorum [1], sicut ex titulo eius manifestissime declaratur, in quo si aliqua inveniuntur adhuc sensu[a] claudicantia non ab illo inserta, sed ab aliis minus diligentibus postea credenda sunt superaddita. *Lectiones* apostolicas vel *evangelicas* quis ante celebrationem sacrificii primum statuerit, non adeo certum est; creditur tamen, a primis successoribus apostolorum eandem dispositionem[b] factam ea praecipue causa, quia in evangeliis eadem sacrificia celebrari iubentur et in apostolo qualiter celebrari debeant, docetur, et ut ante sanctissimae actionis[c] mysterium ex evangelio salutis et fidei suae recognoscerent fundamentum, et ex apostolo eiusdem fidei et morum Deo placentium caperent instrumentum. Anteponitur autem in ordine quod inferius est dignitate, ut ex minoribus animus audientium ad maiora sentienda proficiat et gradatim ab imis ad summa conscendat. Statuit autem Anastasius XLI [2] papa, ut quotiescunque sanctum evangelium recitaretur, sacerdotes non sederent[d], sed curvi starent, ut videlicet humilitatem, quae a Domino docetur etiam corpore demonstrarent. Videtur autem non alias lectiones ante evangelium fuisse tunc positas, nisi tantum apostoli Pauli, quas solum nominavit qui gesta pontificum scripsit, cum antiphonarum mentioni[e] subiunxit: *quod ante*[f] *non fiebat, nisi tantum epistola beati Pauli apostoli legebatur et sanctum evange-*

[a] oe, ad hunc sensum. — [b] oe, dispensationem. — [c] oe, notant ad marginem: id est canonis. — [d] oe, non recti, sed curvi etc. — [e] c, de ant. mentione; mlh, mentionem. — [f] M, antea; M[1] quod contra.

[1] Apud *Muratori* Ludov. Liturgia romana vetus t. II, p. 2 sqq. — [2] rectius XXXIX. Anastasius I. 399—401. „Hic constituit ut quotienscunque evangelia sancta recitantur, sacerdotes non sederent, sed curvi starent.“ Lib. pontif. Duch. I, 218. Cfr. Constit. apost. II, 57 et Isid. Pelus. ep. 136.

lium[1]; quod etiam Damasus[a] papa ad Hieronimum scribens[2] pene eisdem verbis ostendit. Et fortasse in primis[b] solius Pauli lectiones eo loci[c] legebantur, postea autem omnibus latius augmentatis aliae lectiones non tantum de novo, verum etiam de veteri, prout festorum ratio poscebat, intermixtae sunt testamento.

Nec mirum videri debet, quod paulatim aucta narrantur officia, dum adhuc multa in rebus necessariis defuissent, cum videamus usque hodie et collectiones[d] et collectas et diversas laudum species iam pene abundantibus omnibus superaddi, ut et in hoc illud propheticum videatur impleri: *pertransibunt plurimi et multiplex erit scientia.*[3] Sed videndum est, sicut beatus Augustinus ait, ut ea cantentur, quae ita scripta sunt, quae autem non ita scripta sunt, non cantentur.[e] *Responsoria* et *Alleluia,* quae ante evangelium cantantur, deinde adiuncta videntur, postquam antiphonae ad ingressum dici coeperunt[f], quae et videntur prohibita canonibus Hispanorum, qui longo post tempore sunt constituti. In illis enim iubetur, ne aliquis ymnus inter lectionem apostolicam et evangelium in ordine missae ponatur; ex quo intellegitur, id[g] aliquos temptasse tunc temporis, sed propter novitatem rei studium eorum nondum fuisse a quibusdam receptum, quod tamen postea usu romano commendatum ad omnes Latinorum pervenit ecclesias. *Symbolum* quoque fidei catholicae recte in missarum solemniis post[h] evangelium recensetur, ut per sanctum evangelium *corde credatur ad iustitiam,* per symbolum autem *ore confessio fiat in*[i] *salu-*

[a] oe, sanctus Dam. — [b] M, inprimis. — [c] oe, loco. — [d] M[1], et mlh, lectiones. — [e] mlh, ut ea cantentur, quae scripta sunt, ut cantentur. — [f] oe, exspirarunt, dum M, quoque exh. *coeperunt.* — [g] M, et. — [h] lm, om. post. — [i] oe, ad; M[1] fit.

[1] Cfr. supra p. 56 not. 2. — [2] Epistolae Damasi papae ad Hieronymum scriptae fere omnes apocryphae sunt. Cfr. Jaffé, Regesta PP. RR. 2. ed. p. 29; et infra pag. 70 not. 3. — [3] Dan. XII, 4.

tem.[1] Et notandum, Graecos illud symbolum, quod nos ad imitationem eorum intra missas assumimus, potius quam alia in cantilenae dulcedinem ideo transtulisse, quia constantinopolitani concilii proprium est et fortasse aptius videbatur modulis sonorum, quam nicaenum, quod tempore prius est, et ut contra haereticorum venena in ipsis etiam sacramentorum celebrationibus medicamenta apud regiae suae urbis sedem confecta fidelium devotio replicaret.[2] Ab ipsis ergo ad Romanos ille usus creditur pervenisse; sed apud Gallos et Germanos post deiectionem Felicis[3] haeretici sub gloriosissimo Karolo Francorum rectore damnati, idem symbolum latius et crebrius in missarum coepit officiis iterari. Concilio quoque toletano statutum est, „*omni dominica idem symbolum secundum morem orientalium ecclesiarum recitari, ut priusquam dominica dicatur oratio, fides vera manifestius testimonium habeat et ad corpus Christi ac sanguinem praelibandum pectora populorum purificata accedant.*“[4] In eiusdem loci concilio statutum est, ut etiam ymnus trium puerorum[5] ad missam omni dominica

[1] Cfr. Röm. X, 10 εἰς σωτηρίαν; Vulg. ad salutem. — [2] Recitationem symboli et quidem nicaeni in sacra synaxi primum a Petro Fullone, patriarcha antiocheno et monophysita, c. 490 introductam esse traditur, quo conamine impulsi orthodoxi initio seculi VI. sua ex parte symbolum nicaeno-constantinopolitanum receperunt. Anno 589 synodus toletana tertia constituit can. II: „ut per omnes ecclesias Hispaniae vel Gallaeciae *secundum formam orientalium ecclesiarum*, concilii constantinopolitani, hoc est centumquinquaginta episcoporum symbolum fidei recitetur, ut priusquam dominica dicatur oratio, voce clara a populo decantetur.“ Mansi t. IX, 993. Labbe t. VI, p. 706. — [3] Felix episcopus urgelitanae ecclesiae adoptianismi haeresi infectus, damnatus est synodo generali anno 794 apud Francofordiam celebrato. Cfr. Hefele, Conciliengesch. 2. ed. t. III, 642 sqq. — [4] Cfr. supra not. 2. — [5] Dan. III, 57 sqq. Huius cantici in officium divinum introducti primum facit mentionem *liber de virginit.*, ubi invenimus: „Matutina hora hunc dicite psalmum: ‚Deus, deus meus ad te de luce vigilo‘; sub diluculo vero: ‚Benedicite omnia opera Domini, Domino.“ „Gloria in excelsis Deo et in terra pax,

in pulpito cantaretur, quod Romani propter multiplicitatem officiorum non faciunt, nisi quatuor per annum diebus, quibus lectionum XII numerus adimpletur.

Offertorium, quod inter offerendum cantatur, quamvis a prioris populi consuetudine in usum christianorum venisse dicatur, tamen quis specialiter addiderit officiis nostris aperte non leginus, sicut et de antiphona, quae ad communionem dicitur possumus fateri, cum vere credamus, priscis temporibus patres sanctos silentio obtulisse vel communicasse, quod etiam hactenus in sabbato sancti[a] paschae observamus. Sed, sicut supra dictum est, diversis modis et partibus per tempora decus processit ecclesiae et usque in finem augeri non desinet. Traditur denique, beatum Gregorium sicut ordinationem missarum et consecrationum, ita etiam cantilenae disciplinam maxima ex parte in eam, quae hactenus quasi decentissima observatur, dispositionem[b] perduxisse, sicut et in capite antiphonarii commemoratur.[1] Sciendum autem, quosdam inordinate offerre, qui attendentes numerum oblationum potius quam virtutem sacramentorum saepe in illis transeunter[c] offerunt missis, ad quas persistere nolunt. Rationabilius siquidem est, ibi offerre, ubi velis persistere, ut qui munus Domino obtulisti offeras pariter pro eodem munere suscipiendo postulationem devotam. Non enim frustra in actione dicitur: *„qui tibi offerunt“,* non dicitur[d] „qui obtulerunt“, ut intellegamus,

[a] Mmlh, sancto; c. sanctae. — [b] M, ea — dispositione. — [c] M, transeuntes. — [d] SG. habet dicit, dum alii omnes, M M[1] oe, exhibent dicitur.

in hominibus beneplacitum. Laudamus te, benedicimus te etc.“ Migne. s. g. t. 28, p. 275.

[1] Titulus antiphonarii nihil commemorat huius rei, Ioannes Diaconus autem in vita sua Gregorii Magni refert lib. II, c. 6: „Antiphonarium centonem cantorum studiosissimus nimis utiliter compilavit; scholam quoque cantorum, quae hactenus eisdem institutionibus in sancta romana ecclesia modulatur, constituit.“ Migne s. l. t. 7, p. 90.

eos persistere debere in offerendo, donec oblata ad hoc perveniant, ad quod oblata sunt. Sed et in hoc error non modicus videtur, quod quidam putant[a], se non posse aliter plenam commemorationem eorum facere, pro quibus offerunt, nisi singulas oblationes pro singulis offerant vel pro vivis et defunctis non simul aestimant immolandum[b], cum vere sciamus, unum pro omnibus mortuum et unum panem esse et[c] sanguinem, quem universalis offert ecclesia.[d] Quod si cui placet, pro singulis singillatim[e] offerre pro solius devotionis amplitudine et orationum augendarum delectatione, id faciat, non autem pro stulta opinatione, qua putet[f], unum Dei sacramentum non esse generale medicamentum. Quodammodo enim in fide imperfectus est, qui putat, Deum[g] non discernere cum[h] una petitione pro multis rogatur, quid cui sit necesse, vel fastidire eum[i] aestimat, cum eadem oblatio nunc pro uno nunc pro alio exhibetur. *Praefationem* actionis, qua populi affectus ad gratiarum actiones incitatur ac deinde humanae devotionis[k] supplicatio caelestium virtutum laudibus admitti deposcitur vel ipsam actionem, qua conficitur sacrosanctum corporis et sanguinis dominici mysterium, quamque[l] Romani canonem, ut in pontificalibus saepius invenitur, appellant, quis primus ordinaverit nobis ignotum est. Auctam tamen fuisse non semel sed saepius ex partibus additis intellegimus, quia et praefatio in quibusdam festis aliter quam diebus cotidianis dicitur, et interdum non ipsa mutatur, sed inseruntur in medio speciales quarundam rerum commemorationes. *Actio* vero sive canon ex eo cognoscitur maxime per partes compositus, quod nomina sanctorum, quorum ibi communio

---

[a] oe, om. putant. — [b] ml, immolandam. — [c] M, M[1], ac. — [d] oe, ecclesia offert. — [e] oe, singulatim. — [f] M[1], quia unum putet D. s. — [g] oe, Dominum. — [h] oe, quando. — [i] c, fastidiosum. — [k] mlh, vocis. [l] oe, quam quoque.

et societas flagitatur, duobus in locis posita repperiuntur.[1] Non enim verum est, quod quidam dicunt, ideo duos ordines nominum ibi factos, quia posterius positi nondum coronati fuissent, cum priores in illo canone ponerentur, cum sciamus Ioannem Baptistam ipsis apostolis non tantum parem tempore, verum et priorem, Stephanum vero parem et utrumque ante apostolos coronatum; caeteros quoque, qui in sequenti ordine numerantur, eisdem fuisse temporibus, quibus fuere qui prius sunt positi. Unde constat, sequentes ecclesiae doctores antiquis patrum statutis, quae congrua visa sunt, addidisse, ut sicut religiosorum aucta est multitudo, ita et religionis crescerent instituta. Primam vero partem canonis praedicti ex eo vel maxime antiquam esse cognoscimus, quia in ea[a] ordo apostolorum non ita est positus, sicut in emendatioribus evangeliis invenitur; quod ideo fortasse evenit, quia pars illa prius composita est quam evangelia ad eam veritatem[b], quae nunc habetur apud Latinos, corrigerentur. In prioribus enim editionibus, ut Hieronimus testis est, non solum evangelistarum mutatus ordo, sed etiam verborum et sententiarum erat confusa commixtio. Alexander, septimus papa in numero[2], miscuit

[a] M[1] et oe, eo. — [b] c, virtutem.

[1] Primam seriem sanctorum canoni missae insertam invenies in oratione, quae dicitur „infra actionem“ (communicantes) et exhibet illa haec nomina: s. Mariam Virginem, duodecim apostolos cum apostolo Paulo omisso Matthia et duodecim martyres, inter quos inveniuntur quinque pontifices romani. Ordo apostolorum in canone plane alius est ac invenimus eum in sacra scriptura, ubi ille quater exhibetur: Matth. X, 2; Marc. III, 16; Luc. VI, 14; Act. I, 13; maxime quadrat series ap. Luc. exhibita, ubi nomina Thomae et Iacobi tantum invertuntur. Secunda series post commemorationem pro defunctis („Nobis quoque peccatoribus“) continet quindecim nomina sanctorum. Cfr. De his sanctis, qui in canone missae commemorantur, Hefele, Beiträge zur Kirchengeschichte, Archäologie und Liturgik II, p. 276. — [2] Alexander erat sextus papa et administravit pontificatum c. 105—115.

passionem Domini in praedicatione[a] sacerdotum, quando missae celebrantur.[1] Quod cum ita de eo in pontificalibus scriptum sit, dubium videtur, utrum ille eam tantum partem actionis, qua passio Domini commemoratur, ordinaverit vel totam a capite usque ad ipsum locum. Sed huic secundae aestimationi videtur contrarium, quod in ea parte sancti nominantur, qui et ante illum et qui post illius tempora longe fuerunt, nisi dicamus, ab illo eos tantum, qui ante illum fuerunt commemoratos, caeterorum vero nomina suis quaeque temporibus ab aliis superinmissa; unde et ipsius nomen Alexandri in sequenti ordine repperitur. Gregorius vero[2], de quo superius saepius fecimus mentionem, augmentavit in praedicatione[b] canonis: *Diesque nostros in tua pace disponas*, ubi quidam volunt intellegi, totam[c] ab eo loco canonis consequentiam usque in finem per illum fuisse compositam, cui sensui repugnare videtur, quod passio Domini, quam Alexander eidem praedicationi inseruit, post hos versus habetur. Unde nonnulli credunt, non amplius Gregorium quam illas tres petitiones, id est pro pace temporum et ereptione ab aeternis suppliciis et consortio sanctorum obtinendo, prioribus superaddidisse statutis. Leo quoque, XLVII loco[3] apud Romanos pontificatum agens, constituit, ut intra actionem sacrificii diceretur: *sanctum sacrificium* et reliqua.[4] De hoc etiam quaeri potest, utrum ab eo loco

[a] M et oe, precatione. — [b] M et oe, precatione. — [c] M, M[1] et oe habent totam, SG. vero exh. tam.

[1] „Hic passionem Domini miscuit in praedicatione sacerdotum, quando missae celebrantur.“ Lib. pontif. Duch. I, 127. In praedicatione sacerdotum id est in oratione ante consecrationem „Qui pridie quam pateretur“. — [2] „Hic augmentavit in praedicationem canonis *diesque nostros in tua pace dispone* et cetera.“ Duch. I, 312. — [3] Leo quadragesimus quintus rexit ecclesiam 440—461. — [4] „Hic constituit, ut intra actionem sacrificii diceretur *sanctum sacrificium* et cetera.“ Duch. I, 239. Haec verba terminant orationem post consecrationem

quae sequuntur addiderit vel ipsa tantum verba, id est *sanctum sacrificium, immaculatam hostiam* eo loco intermiscuerit, quod, quia manifeste non legimus, nolumus diffinire[a]. Ex hoc tamen apparet, Gregorium, qui longe post Leonem fuit, non totum canonem ab eo loco quo sua inseruit usque in finem composuisse. Gregorius deinde, tertius eiusdem nominis papa, faciens oratorium in basilica beati Petri in honorem omnium sanctorum et cotidiana ibidem officia ac missas in eorum venerationem constituens celebrari pariter instituit in canone a sacerdote dicendum: *quorum solemnitas hodie in conspectu tuae maiestatis celebratur, Domine Deus noster, toto in orbe terrarum*[1], quod, quia specialiter ad illam pertinet celebritatem, non est canoni, qui generaliter dicitur, adnotatum. Actio dicitur ipse canon, quia in eo sacramenta conficiuntur dominica, canon vero eadem actio nominatur, quia ea[b] est legitima et regularis sacramentorum confectio. Sequitur *oratio dominica* cum appositionibus congruis: una enim praecedens eam fiduciam praedicat, qua Dominum creatorem patrem dicere praesumamus; altera subsequens explicat, quomodo et a quibus malis per Dominum nos liberari petamus. Quae oratio dominica, quia prius quam caetera

[a] M et oe, definire. — [b] oe, in ea.

secundam, quae incipit: „Supra quae propitio"; et ea Leonem apposuisse, conicit Duchenius, propter Manicheos declarando panem et vinum, oblata regis de Salem, dona sancta.

[1] Gregorius III. papa 731—741; „hic fecit oratorium .... in quo recondivit in honore Salvatoris sanctaeque eius genetricis reliquias sanctorum apostolorum vel omnium sanctorum martyrum ac confessorum, perfectorum iustorum, toto in orbe terrarum requiescentium. Quorum festa vigiliarum a monachis trium monasteriorum illic servientium cotidie per ordinem existentia atque nataliciorum missas in eodem loco celebrare, instituens in canone ita a sacerdote dicendum: *Quorum solemnitas* etc." Duch. I, 417.

in consecratione sacrificiorum assumpta est, in expletione eiusdem sacratissimae actionis digne ponitur, ut per hanc purificati qui communicaturi sunt, quae sancte confecta sunt digne ad salutem veram percipiant. *Pacem* ante communionem dari Innocentius papa decretis[a] suis instituit, scilicet ut, quod in oratione sancta sub sponsione remissionis praemittimus, pacatos nos ipso opere demonstremus. *Agnus Dei* in confractione corporis Domini a clero et populo decantari Sergius, LXXXVI. Romanorum antistes, constituit[1], ut dum praeparatur ad dispensandum[b] corpus dominicum rogent accepturi, quatenus ille, qui pro eis oblatus est innocens, faciat eos salubriter pignora salutis aeternae percipere. Porro quod canones praecipiunt, eum ad pacem non accedere qui non communicat, quidam sic intellegunt, quod non debeat pacem accipere quis in aliis missis, nisi in quibus communicat. Alii vero volunt, illum tantum a pace prohiberi, qui iudicio sacerdotali a communione suspensus est, illum autem, qui quadam ratione illo tempore differt communicationem, cum tamen non sit extra communionem, non debere a pacis gratia separari, ne humilitas eius graviorum criminum suspicione notetur. Et quia de communicandi varietate quaedam praemisimus[2] hoc addendum videtur: esse quosdam, qui semel in die communicare, etiam si pluribus interfuerint missis, pro dignitate sacramentorum sufficere credant, esse vero alios, qui sicut in una sic in omnibus quibus affuerint missis in die communicare velint; quorum neutros culpandos existimo, quia sicut Augustinus ait de his qui cotidie communicant

[a] M, in decretis. — [b] M, dispendendum.

[1] De Sergio I, papa 687—701, liber pontif. refert: „Hic statuit, ut tempore confractionis dominici corporis *agnus Dei qui tollis peccata mundi, miserere nobis* a clero et populo decantetur.“ Duch. I, 376. —
[2] Cfr. sup. cap. XXI, pag. 47.

et illis qui rarius: *„istos reverentia sanctarum retrahit rerum, illos vero amor salubrium invitat sacramentorum“*[1]; nam et ipse sacerdos, quotiens in die missas facit, communicare non omittit, quod si faciat[a] canonico est feriendus iudicio.[2] Et hoc non est mirum ita de sacerdote intellegi, cum in[b] conciliis caesaraugustano et toletano[3] communiter sit statutum de omnibus, ut qui acceperit eucharistiam et non sumpserit quasi sacrilegus repellatur. Est autem legitimum tempus communicandi ante ultimam orationem, quae dicitur ad complendum, quia eius petitio maxime pro eis est qui communicant. Unde etiam eorum, qui per singulas missas communicare volunt, accendi[c] videtur voluntas, quia per totam missam pro eis quam maxime et quasi nominatim oratur, qui ibi offerunt atque communicant. Possumus tamen[d] et debemus, ut eadem[e] sancta

[a] oe, non faciat. — [b] oe, om. in. — [c] c, accedendi. — [d] oe, autem. [e] c, earum.

[1] Cfr. August. ep. 54 ad Ianuar. Migne, s. l. t. XXXIII, p. 200 sq. — [2] Concilium toletanum XII. anno 681. can. V. „Relatum nobis est, quosdam de sacerdotibus non tot vicibus communionis sanctae gratiam sumere, quot sacrificia in uno die videntur offerre; sed in uno die si plurima per se Deo offerant sacrificia, in omnibus se oblationibus e communione suspendunt et in sola tantum extremi sacrificii oblatione communionis sanctae gratiam sumunt . . . Quicunque ergo sacerdotum deinceps divino altari sacrificium oblaturus accesserit et se a communione suspenderit, ab ipsa, qua se indecenter privavit gratia communionis, anno uno repulsum se noverit.“ Cfr. corp. i. c. Dist. II, c. XI. de consecrat. De missa pluries in die iteranda cfr. *Binterim*, Denkwürdigkeiten t. IV, p. III, p. 261 sqq. — [3] Concil. tolet. I anno 400 constituit can. XIV. „Si quis acceptam a sacerdote eucharistiam non sumpserit velut sacrilegus propellatur.“ Mansi t. III, 1000. Alia toletana synodus (XI.) anno 675 hanc constitutionem sub gravioribus poenis reiteravit can. XI: „Quicunque aut de fidelium aut infidelium numero corpus Domini (sc. acceptum a sacerdote) absque inevitabili infirmitate proiecerit, si fidelis est, perpetua communione privetur, si infidelis verberibus subdatur et perpetuo exilio relegetur.“ Mansi XI, 144.

missarum celebratio non paucis sed multis prodesse credatur, dicere, caeteros in fide et in devotione offerentium et communicantium persistentes eiusdem oblationis et communionis dici et esse participes. Quamvis autem, cum soli sacerdotes missas celebrant, intellegi possit, illos eiusdem actionis esse cooperatores, pro quibus tunc ipsa celebrantur officia et quorum personam in quibusdam responsionibus sacerdos exequitur, tamen fatendum est, illam esse legitimam missam, cui intersunt sacerdos, respondens, offerens atque communicans, sicut ipsa compositio precum evidenti ratione demonstrat. Statutum est autem aurelianensi concilio[1], ut populus ante benedictionem sacerdotis non egrediatur de missa, quae benedictio intellegitur illa ultima sacerdotis oratio.[2]

XXIV.

De tempore missae.

Tempus autem missae faciendae secundum rationem solemnitatum diversum est. Interdum enim[a] ante meridiem, interdum circa nonam, aliquando ad vesperam, interdum noctu celebratur. Nam Telesphorus papa constituit[3], ut

[a] M, etiam.

[1] Concilium aurelianense anno 511 c. XXVI constituit: „cum ad celebrandas missas in Dei nomine convenitur, populus non ante discedat quam missae solemnitas compleatur, et ubi episcopus non fuerit, benedictionem accipiat sacerdotis.“ Mansi t. VIII. Cfr. Dist. I, c. 65, De consecrat. — [2] De „Ite missa est“, cfr. infra append. n. I, p. 103. — [3] „Nam omni tempore ante horae tertiae cursum nullus praesumeret missas celebrare, qua hora Dominus noster ascendit crucem.“ Duch. I, 129. Epistula apocrypha a Damaso ad Hieronymum data, ut hic commemoretur, digna esse videtur. Invenitur in eodem codice St.G. fol. 204, qui continet nostrum Strabonis libellum et est haec: „Inquisitio beati

nullo tempore ante horae tertiae cursum ullus praesumeret missas celebrare, qua hora Dominus noster secundum Marci evangelium [1] crucifixus asseritur. Inter haec notandum, neque ieiunandum in dominicis et festis maioribus, ubi[a] non cogit necessitas, sicut et canones ostendunt, nec in diebus ieiuniorum vel unquam post meridiem ymnum angelicum, id est *Gloria in excelsis Deo* vel *Alleluia* dicendum, nisi in duobus sabbatis paschae et pentecostes, quae specialibus mysteriis adornantur.

XXV.

De vasis et vestibus sacris.

Vasa quoque, quibus praecipue nostra sacramenta imponuntur et consecrantur, calices sunt et patenae. Calix dicitur a graeco, quod est[b] κῦλιξ; patena a patendo[2], quod

[a] m, uti. — [b] oe, a graeco nomine.

Damasi pape urbis Romae a Hieronymo presbytero. Frater et conpresbyter noster Hieronyme! quid tibi videtur de die sancto dominico qualiter sollemnia missarum agere debemus aut de aliis diebus, qualis (?) horis est licitum celebrare? Resp. Hieron. Domine et dulcissime pater! tibi veritas minime est absconsa synodo niceni concilii cum 318 patres qualiter apud ipsos est inventum, quod in die dominico nullus post horam dici tertiam sollemnia missarum agere presumat et denuntiaverunt, quod qui presumat, anathema sit, et aliis vero diebus V. VI. VII. VIII. hora non celebrentur sollemnia missarum, alias vero has licitum est. Papa dixit: rectum est, quod dixisti."

[1] Marc. XV, 25. ἦν δὲ ὥρα τρίτη, καὶ ἐσταύρωσαν αὐτόν. Secundum Ioannem (XIX, 14) stabat Iesus hora sexta in praetorio Pilati. Haec differentia haud difficile concordari potest. — [2] Hoc quoque nomen rectius a graeco derivari potest, πατάνη = patella. De Archaeologia calicis et patenae cfr. Hefele, Beiträge II, p. 322 sqq. Kraus, Real-Encyclopaedie s. v. Kelch, Patene II, 161. 595.

patula sit; ampulla quasi parum ampla. Zepherinus, XVI.[a] romanus pontifex, patenis vitreis missas celebrare constituit[1], tum deinde Urbanus, XVIII. papa, omnia ministeria[b] sacrata fecit argentea et patenas XXV.[2] In hoc enim[c] sicut et in reliquis cultibus magis et magis per incrementa temporum decus succrevit ecclesiae. Bonifacius martyr et episcopus interrogatus, si liceret in vasculis[d] ligneis sacramenta conficere, respondit: „*quondam sacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur, nunc e contra lignei sacerdotes aureis utuntur calicibus.*“ Sylvester papa constituit[3], sacrificium altaris non in serico, non in panno tincto celebrari, nisi tantum lineo e terra procreato, sicut corpus Domini nostri Iesu Christi in sindone munda sepultum est.[4] Vestes etiam sacerdotales per incrementa ad eum, qui nunc habetur auctae sunt ornatum. Nam primis temporibus communi indumento vestiti missas agebant, sicut et hactenus quidam orientalium facere perhibentur. Stephanus autem

---

[a] lm, XXVI. — [b] lm, ministris. — [c] oe, om. enim. — [d] oe, vasis.

---

[1] Zepherinus papa 199—217. „Hic fecit . . . constitutum de ecclesia, et patenas vitreas ante sacerdotes in ecclesia et ministros supportantes, donec episcopus missas celebraret, ante se sacerdotes adstantes, sic missae celebrarentur.“ Duch. I, 139. — [2] Urbanus papa 222—230. „Hic fecit ministeria sacrata omnia argentea et patenas argenteas XXV posuit.“ Duch. I, 143. — [3] Silvester papa 314—335. „Hic constituit, ut sacrificium altaris non in sericum neque in pannum tinctum celebraretur, nisi tantum in lineum terrenum procreatum, sicut corpus domini nostri Iesu Christi in sindonem lineam mundam sepultus est; sic missas celebrarentur.“ Duch. I, 171. „Quis fidelium nescit ligna (altaris) *linteamine cooperiri*? Inter ipsa sacramenta velamen potuit tangi, non lignum.“ Optat. Milev. De schism. Donat. VI, 1. „Ipsi (Vandali) rapaci manu cuncta depopulabantur atque de *palliis altaris*, pro nefas! camisias sibi et femoralia faciebant.“ Vict. Vit. Hist. persecut. I, 39. — [4] Matth. XXVII, 59. Hic exspirat cod. M.

XXIV. papa[a] constituit[1], sacerdotes et levitas vestibus sacratis in usu cotidiano non uti, nisi in ecclesia tantum; et Sylvester ordinavit, ut diaconi dalmaticis in ecclesia uterentur et pallio linostimo eorum leva tegeretur. Et primo quidem sacerdotes dalmaticis ante casularum usum induebantur, postea vero cum casulis uti coepissent dalmaticas diaconibus concesserunt. Ipsos tamen pontifices eis uti debere ex eo clarum est, quod Gregorius vel alii Romanorum praesules aliis episcopis earum usum permiserunt aliis interdixerunt, ubi intellegitur, non omnibus tunc fuisse concessum, quod nunc pene omnes episcopi et nonnulli presbyterorum sibi licere existimant, id est ut sub casula dalmatica vestiantur.

Statutum est autem concilio bracarensi[2]: *ne sacerdos sine orario celebret missam.* Addiderunt in vestibus sacris alii alia vel ad imitationem eorum, quibus veteres utebantur sacerdotes, vel ad mysticae significationis expressionem. Quid enim singula designent, quibus nunc[b] utimur, a prioribus nostris satis expolitum[c] est. Numero autem suo antiquis respondent: quia sicut ibi tunica, superhumeralis linea, superhumerale, rationale, balteus, feminalia, thyara et lamina, sic hic dalmatica, alba, mappula, orarium, cin-

---

[a] M[1], tantum habet papa; omn. al. om. — [b] oe, utimur nunc. — [c] oe, expositum.

---

[1] Stephanus I. papa 254—257. „Hic constituit, sacerdotes et levitas ut vestes sacratas in usu cottidiano non uti, nisi in ecclesia.“ Duch. I, 154. (Silvester) „constituit, ut diaconi dalmaticas in ecclesia uterentur et pallea linostima leva eorum tegerentur.“ Duch. I, 171. — [2] Synodus bracarensis anno 675 celebrata constituit can. IV.: „ut cum sacerdos ad solemnia missarum accedit aut pro se Deo sacrificium oblaturus aut sacramentum corporis et sanguinis domini nostri Iesu Christi sumpturus, non aliter accedat quam orario utroque humero circumseptus, sicut et tempore ordinationis suae dignoscitur consecratus.“ Mansi XI, 157.

gulum, sandalia, casula et pallium; unde sicut illorum extremo soli pontifices, sic istorum ultimo summi tantum pastores utuntur.[1]

XXVI.

De horis canonicis, genuum flexione, ymnis, cantilena et incrementis eorum.

Praemissis his, quae de ordine missae videbantur dicenda, de canonicarum statutis horarum, quae Dominus dederit, adiungamus. Sciendum est, multa post revelationem evangelii tempora transisse, antequam ita ordinarentur quarundam per diem et noctem horarum solemnia, sicuti nunc habentur. In veteri autem testamento legimus quasdam certas orationis horas ut tempus matutini et vespertini sacrificii[2], et quod Daniel legitur ter in die genu in oratione flexisse[3], non absque ratione fecisse credendus[a] est; in novo quoque[b] non tantum orandi, sed etiam genua flectendi copiosa reperiuntur exempla. Nam dominus Iesus Christus ante passionem suam procidens in faciem suam adoravit patrem, et Stephanus positis genibus pro lapidantibus exoravit.[4] De Bartholomeo etiam legitur apostolo, quod centies in die, centies in nocte flexerit genu[c]. Quamvis autem geniculationis morem tota servet ecclesia, tamen praecipue huic operi Scotorum insistit natio, quorum multi pluribus, multi paucioribus, sed tamen certis vicibus et

[a] oe, credendum. — [b] M[1] autem. — [c] M[1] et oe, genua.

---

[1] De vestibus sacris cfr. Kraus, Realencyclopaedie s. v. Kleidung von Krieg II, 175 sqq. Hefele, Beiträge II, 150 sqq. Thalhofer, Handbuch der kath. Liturgik. I, p. 856 sqq. — [2] Exod. XXIX, 41. Levit. IX, 17. Num. XXVIII, 8. 23. Ps. 140. 2. Dan. IX, 21. — [3] Dan. VI, 10. — [4] Luc. XXII, 41. Act. VII, 59.

dinumeratis per diem vel noctem genu flectentes non solum pro peccatis deplorandis, sed etiam pro cotidianae devotionis expletione studium istud frequentare videntur. Quibus autem horis vel temporibus inter publica officia sine genuum flexione orandum sit, canones loquuntur, id est in dominicis et festis maioribus et quinquagesima, iuxta quos[a] publice poenitentes semper genua flectere debent. Horae igitur canonicae, quamvis omnes rationabili[b] auctoritate celebrentur et nihil in eis observetur, quod non exempla vel dicta sanctorum patrum confirment, tamen quaedam manifestioribus sunt dedicatae documentis: ut ipsum Dominum nostrum in oratione legimus pernoctasse[1]; Paulum quoque et Sylam noctis medio orasse in carcere, terrae motus ostendit[2]; circa tertiam in apostolos orantes Spiritus Sanctus descendit[3]; hora sexta Petrus ascendit in caenaculum, ut oraret[4], itemque cum Ioanne in templum ad horam orationis nonam[5], in qua etiam oranti Cornelio angelus apparuit.[6] Testis est[c] etiam Philo, primitivam apud Alexandrinos ecclesiam inter alia bona hymnos antelucanos[d] celebrasse.[7] Ex his itaque et similibus intellegimus, apud multos horas, quae et nunc celiberrimae sunt, observatas, sed non ea distributione psalmorum vel orationum, qua nunc utimur, quam et circa tempora Theodosii senioris inchoatam ac deinceps expletam multis animadvertimus causis.[8] Ambrosius enim mediolanensis, ut in libris confessionum suarum beatus Augustinus testatur[9], ymnos divinae laudationis populo componens persecutionem

[a] oe, quos canones. — [b] oe, rationali. — [c] mlh, enim. — [d] oe, anti galli cantus lucanos.

[1] Luc. VI, 12. — [2] Act. XVI, 25. — [3] Act. II, 15. — [4] Act. X, 9. — [5] Act. III, 1. — [6] Act. X, 3. — [7] Euseb. Hist. eccl. l. II, c. 17. — [8] De hac materia cfr. *Pleithner,* Dr. Fr. H., Aelteste Geschichte des Breviergebetes, Kempten 1887, p. 178—202. — [9] Confess. l. IX, c. 7.

Iustinae augustae rerum novitate lenivit. Quo in tempore, sicut etiam in vita ipsius Ambrosii scribitur [1], antiphonae, ymni et vigiliae in ecclesia mediolanensi celebrari coeperunt. Hilarius quoque pictaviensis ymnos composuit[2] et de Gelasio papa scribitur, quod tractatus et ymnos in morem beati Ambrosii composuerit[3]; Damasus vero constituit,[4] ut psalmi die noctuque canerentur per omnes ecclesias vel monasteria et praecepit hoc episcopis et presbyteris. Deinde Ioannes constantinopolitanus primus[5] duxit in nocturnis ymnis orationes ob hanc vel maxime causam: *„Ariani extra civitatem collectas agebant; sabbato autem atque dominica intra portas et per*[a] *porticus congregati ymnos et antiphonas ex ariano dogmate compositas decan-*

[a] oe, om. pér. Socrat. hist. eccl. l. VI, c. 8 περὶ τὰς στοὰς; lat. circa porticus.

---

[1] Vita s. Ambrosii auctore Paulino mediolan. presbytero (c. 422) in opp. A—i stud. et lab. monach. ord. s. Bened. Paris 1686. — [2] Concil. toletan. IV. anno 633, c. XIII (Mansi t. X) dicit: „nonulli hymni humano studio in laudem et apostolorum et martyrum triumphos compositi esse noscuntur, sicut hi, quos beatissimi doctores *Hilarius* atque *Ambrosius* ediderunt.“ Cfr. *Gamurrini*, G. F., I misteri e gl' inni di S. Ilario vescovo di Poitiers etc. Studi e documenti di storia e diritto. anno V. 1884, p. 81 sqq. *Idem*, St. Hilarii tractatus de mysteriis et Hymni etc. ex codice arretino. Romae 1887. — [3] Gelasius 492—496. „Hic fecit V. libros adversus Nestorium et Eutychem; fecit et ymnos in modum beati Ambrosii; item duos libros adversus Arrium; fecit etiam et sacramentorum praefationes et orationes cauto sermone et epistulas fidei delimato sermone multas.“ Duch. I, p. 255. Pseudo-Gennadius exhibet hanc notitiam de Gelasio: „Gelasius, urbis Romae episcopus, scripsit adversus Eutycen et Nestorium grande et praeclarum volumen et tractatus diversarum scribturarum et sacramentorum delimato sermone . . . fecit et hymnos in similitudinem Ambrosii episcopi.“ *Eckstein*, Fr. A., Quaestiones Gennadianae. Leipzig 1881. — [4] Damasus 366—384. „Hic constituit, ut psalmos die noctuque canerentur per omnes ecclesias; qui hoc praecepit presbiteris vel episcopis aut monasteriis.“ Duch. I, 213. — [5] i. e. Chrysostomus.

tabant; et hoc maxima noctis parte facientes diluculo cum ipsis antiphonis per medium civitatem egressi portam ad suam ecclesiam concurrebant. Cumque hoc crebro quasi ad vituperationem orthodoxorum facere non cessarent, frequenter enim etiam hoc cantabant: ubi sunt, qui dicunt trina[a] virtute unum[1], *tunc Ioannes, ne simplices huiusmodi cantibus traherentur, instituit suum populum, ut et ipsi nocturnis occuparentur ymnis, quatenus et illorum obscuraretur opus et fidelium professio firmaretur.*"[2] Studium ergo Ioannis nimis utile, cum turba periculisque finitum est. Haec in decimo libro historiae ecclesiasticae, quae tripartita dicitur, ita feruntur[b], quibus[c] et hoc subnectitur paulo inferius: „*Dicendum tamen est, unde sumpsit initium, ut in ecclesia antiphonae decantentur: Ignatius, Antiochiae Syriae tertius post apostolum Petrum episcopus, qui etiam cum ipsis degebat apostolis, vidit angelorum visionem, quomodo per*[d] *antiphonas sanctae trinitati dicebant ymnos, isque modum visionis Antiochenae tradidisse probatur ecclesiae et ex hoc ad cunctas transivit ecclesias.*"[3] Notandum autem, ymnos dici non tantum, qui metris vel rithmis decurrunt, quales composuerunt Ambrosius et[e] Hilarius, Beda Anglorum presbyter[f] et Prudentius Hispaniarum scolasticus et alii multi, verum etiam caeteras laudationes, quae verbis convenientibus et sonis dulcibus proferuntur; unde et liber psalmorum apud Hebraeos liber ymnorum vocatur. Et quamvis in quibusdam ecclesiis ymni metrici non cantentur, tamen in omnibus generales ymni, id est laudes dicuntur. Cantandos etiam illos, qui legitime componuntur, toletani autoritas concilii ostendit[4] inter alia sic

[a] oe, tria. — [b] oe, inseruntur. — [c] oe, in quibus. — [d] oe, om. per. — [e] oe, om. et. — [f] oe, pater.

[1] Graece: ποῦ εἰσὶν οἱ λέγοντες τὰ τρία μίαν δύναμιν. — [2] Socrates, Hist. eccl. l. VI, cp. 8. — [3] Socrat. l. c. — [4] Concil. tolet. IV. anno 633 celebratum can. XIII. Cfr. sup. pag. 76, nota 2.

dicens: „et quia a nonnullis ymni magno studio in laudem dei atque apostolorum et martyrum triumphos compositi esse noscuntur, sicut sunt hi, quos beatissimi doctores Hilarius atque Ambrosius ediderunt, quos tamen quidam specialiter reprobant pro[a] eo, quod de scripturis sanctorum canonum vel apostolica traditione non existunt. Respuant[b] ergo et illum ymnum ab hominibus compositum[c], quem cotidie publico privatoque officio in fine omnium psalmorum dicimus: *gloria et honor patri et filio et spiritui sancto, in saecula saeculorum amen.* Est[d] et ille ymnus, quem nato in carne Christo angeli cecinerunt: *gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis*, reliqua quae ibi sequuntur ecclesiastici doctores composuerunt. Ergo nec ipsi in ecclesiis canendi sunt, quia in sanctarum scripturarum libris non inveniuntur. Componuntur missae[e] sive preces vel orationes sive commendationes seu manus impositiones, ex quibus si nulla decantantur[f] in ecclesia, vacant officia omnia ecclesiastica.“ His verbis ostenditur, multa in ecclesia noviter componi, quae non sint, si a fide veritatis non abhorreant, abiicienda. Porro ymni metrici ac rithmici in ambrosianis officiis dicuntur, quos etiam aliqui in missarum solemniis propter compunctionis gratiam, quae ex dulcedine concinna augetur, interdum assumere consuerunt[g]. Traditur siquidem, Paulinum, foriiuliensem patriarcham[1], saepius et maxime in privatis missis circa immolationem sacramentorum ymnos vel ab aliis vel a se compositos celebrasse. Ego vero crediderim,

[a] oe, om. pro. — [b] M[1], respuunt. — [c] Hic omnes etiam S.G. corruptelam habent: ab *omnibus* loco *hominibus* et coniciunt: *coprobatum* pro *compositum*; textus autem synodalis genuinus est. — [d] oe, sed. — [e] Textus canonis exhibet: componuntur ergo hymni, sicut componuntur missae sive preces. — [f] Textus canonis habet: dicantur. — [g] oe, consueverunt.

[1] Paulinus patriarcha Aquilei. † 804.

tantum tantaeque scientiae virum hoc nec sine auctoritate nec sine rationis ponderatione fecisse. In officiis quoque, quae beatus Benedictus abbas omni sanctitate praecipuus ordinavit, ymni dicuntur per horas canonicas, quos ipse[a] ambrosianos nominans[1] vel illos vult intellegi, quos confecit Ambrosius, vel alios ad imitationem ambrosianorum compositos. Sciendum tamen, multos putari ab Ambrosio factos, qui nequaquam ab illo sunt editi; incredibile enim videtur, illum tales aliquos fecisse, quales multi inveniuntur, id est qui nullam sensus consequentiam habentes insolitam Ambrosio in ipsis dictionibus rusticitatem demonstrant. Dicendum vero de ymno, qui ob honorem sanctae et unicae trinitatis officiis omnibus interseritur, eum a sanctis patribus aliter atque aliter ordinatum. Nam Hispani, sicut superius commemoravimus, ita eum dici omnimodis voluerunt; Graeci autem: *gloria patri et filio et spiritui sancto, et nunc et semper et in saecula saeculorum amen* dicere cognoscuntur[b]; Latini vero eodem ordine et eisdem verbis hunc ymnum decantant addentes tantum in medio: *sicut erat in principio*[2]; pro quibus etiam particulis quidam Graeci, minus sapientes, Latinos proximis ante nos temporibus calumniis impetere conati sunt. Intellegimus tamen, nos in hoc non errare credita consempiternitate gloriae patris et filii et spiritus sancti pariterque scientes, quod Romani, firmissimi fidei

[a] oe, Ambros. ipse. — [b] oe, om. dicere cognoscuntur.

---

[1] Cfr. regula sct. Bened. c. 9. 12. 13. 17. — [2] Hanc clausulam propter Arianos in tota ecclesia, Orientis et Occidentis, additam esse, affirmat concilium vasense ann. 529 celebratum dicens can. V.: „Et quia non solum in sede apostolica, sed etiam per totum Orientem et totam Africam vel Italiam propter haereticorum astutiam, qui Dei filium non semper cum patre fuisse, sed a tempore coepisse blasphemant, in omnibus clausulis post gloria *sicut erat in principio* dicitur, etiam et nos in universis ecclesiis nostris hoc ita dicendum esse decernimus.“ Mansi VIII, 725.

servatores[1], remotis caeteris compositionibus hunc huius ymni tenorem non aliter suscepissent, nisi eum purum ab omni errore cognoverint. Affirmant siquidem multi, ymnum istum niceni concilii sacratissima sanctione prolatum[2], ut omnibus officiis et orationibus intermixtus et fidem coaeternae trinitatis inculcet et in singulis petitionibus ipsa confessio melius favorem divinae exauditionis obtineat. Hunc itaque ymnum nonnulli omnibus pene psalmis et interdum incisionibus psalmorum coaptant, responsoriis vero paucioribus ut illi qui statuta patris Benedicti in horis sequuntur canonicis; Romani eum in psalmis rarius, in responsoriis crebrius iterant. Sane versum, qui in capite omnium praeter missas[a] officiorum, quae horis canonicis exhibentur, dici solet, id

[a] l, missa; m. missam.

[1] Cfr. sup. cp. XXIII, p. 55. — [2] Walafridus falsam hic opinionem tunc temporis vigentem repetere videtur; nam omnibus notum est, doxologiam memoratam concilio niceno multo anteriorem esse. *Clemens Alexandrinus* († c. 217) primum totam doxologiam et quidem eadem fere forma, qua hodie utimur, comemmorat in libello isto, qui inscribitur: τίς ὁ σωζόμενος πλούσιος; ubi habet cp. 42 in fine: „ᾧ διὰ Παιδὸς Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ κυρίου ζώντων καὶ νεκρῶν, καὶ διὰ τοῦ ἁγίου Πνεύματος εἴη δόξα, τιμὴ, κράτος, αἰώνιος μεγαλειότης, καὶ νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς γενεὰς γενεῶν, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Αμήν.“ Eandem fere formam exhibent Constit. apost. l. VIII, c. XII. „ὅτι σοι πᾶσα δόξα, σέβας καὶ εὐχαριστία, τιμὴ καὶ προσκύνησις τῷ Πατρὶ καὶ τῷ Υἱῷ καὶ τῷ ἁγίῳ Πνεύματι, καὶ νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς ἀνελλιπτεῖς καὶ ἀτελευτήτους αἰῶνας τῶν αἰῶνων. Αμήν.“ Basilius de Spiritu sancto cp. 27 latius disputat, utrum sit dicendum: σὺν τῷ Πνεύματι an ἐν τῷ Πνεύματι. Fabulosum sane est, quod narrat Philostorg. Hist. eccl. l. III, c. 13. „ὅτι φησὶ τὸν Αντιοχείας Φλαβιανὸν, πλῆθος μοναχῶν συναγείραντα πρῶτον ἀναβοῆσαι· Δόξα Πατρὶ καὶ Υἱῷ καὶ ἁγίῳ Πνεύματι. Τῶν γὰρ πρὸ αὐτοῦ, τοὺς μὲν, Δόξα Πατρὶ δὶ Υἱοῦ ἐν ἁγίῳ Πνεύματι λέγειν καὶ ταύτην μᾶλλον τὴν ἐκφώνησιν ἐπιπολάζειν· τοὺς δὲ, Δόξα Πατρὶ ἐν Υἱῷ καὶ ἁγίῳ Πνεύματι.“ Cfr. Probst, Ferd., Lehre und Gebet. Tübingen 1871 S. 319.

est: *Deus in adiutorium meum intende*[1] et reliqua, patres antiqui suis conlationibus inveniuntur statuisse omnibus non tantum officiis, sed etiam operibus praemittendum, ut invocatio divinae opitulationis initio cuiuslibet actionis assumpta faciliorem faciat et postulandi constantiam et optinendi virtutem. In agendis autem mortuorum et circa passionis dominicae solemnitatem inchoationes et expletiones officiorum non ut in caeteris fiunt, tristitiae videlicet significandae causa, non[a] aliquo graviori decreto. Quia vero tanta est in ipsis diversitas officiis non solum pro varietate gentium ac linguarum, verum etiam in una gente vel lingua pro temporum mutatione vel magistrorum studiosa institutione, ut si velim cuncta replicare, quae de hac multiplicitate iam legimus, magis onerosus quam profructuosus videar audituris. Omittam igitur, quae infinita sunt, hoc tantum affirmans, quod plenarius officiorum ordo, qui nunc per romanum orbem servatur, post antiquitatem multis temporibus evolutam institutus[b] et ad omnem eminentiam sanctae religionis est dilatatus. Crescente enim fidelium numero et haeresium[c] pestilentia multiplicius pacem maculante catholicam necesse erat, augeri cultum verae observationis, ut et clarior religio accedentium ad fidem animos invitaret et auctior cultus veritatis constantiam catholicorum adversus inimicos ostenderet. In tantum denique vel cantilenae vel psalmodiae memoriter exercendae usus erat rarus apud priores, ut de novissimis pene Romanorum praesulibus et qui nec ducentis annis

[a] oe, nisi. — [b] ml. institutis. — [c] m, heresis; lh. heresim; c, heresum.

[1] Ps. 69, 2. Cfr. Regulam st. Bened. cp. 18: „in primis semper diurnis horis dicatur versus: Deus in adiutorium etc.“ „Huius versiculi oratio in adversis ut eruamur, in prosperis ut servemur nec extollamur, incessabili iugitate fundenda.“ Cassian, Conl. X, c. 10. (Edit. Vindob. t. XIII (1886), p. 302).

nostra tempora praecesserunt, quasi memorabile quiddam et singulare scribatur, si qui eorum in rebus praedictis eminentiores caeteris viderentur. Hormisda enim in ordine LIIII. clerum composuit et psalmis erudivit[1], Leo LXXXII. et Benedictus post eum proximus itemque Sergius LXXXVI. psalmodia et cantilenae scientia floruisse dicuntur.[2] De Gregorio autem III. velut inauditum quiddam et novum refertur, quod omnes psalmos memoriter tenuerit; ubi intellegi datur, paucos priorum ita psalterium didicisse.[3] Solebant enim psalmos aeque ut caeteras scripturas partim memoriter, partim[a] etiam lectitando suis officiis inserere; quod si diligenter advertas, multis scripturarum documentis apparet. Ordinem autem cantilenae diurnis seu nocturnis horis dicendae beatus Gregorius plenaria creditur ordinatione distribuisse, sicut et supra de sacramentorum diximus libro, cum multi ante sive post eum orationes, antiphonas vel responsoria composuerint. Nam et de antiphonarum inchoatione[b] superius diximus, et responsoria

[a] oe, om. memoriter partim. — [b] mlh, inchoate.

[1] Hormisdas 514—523. „Hic composuit clerum et psalmis erudivit.“ Duch. I, 269. „*Componere clerum*“ schisma laurentianum spectare videtur, quod affirmat et epitaphium Hormisdae: „Sanasti patriae laceratum scismate corpus restituens propriis membra revulsa locis.“ Duemmler. Poetae lat. aevi Carolini t. I, p. 114. — [2] Leo II, 682—683. „Vir eloquentissimus, in divinis scripturis sufficienter instructus, greca latinaque lingua eruditus, cantilena ac psalmodia praecipuus et in earum sensibus subtilissima exercitatione limatus.“ L. p. Duch. I, 359. Benedictus II. 684—685. „Hic ab ineunte aetate sua ecclesiae militavit, atque sic se in divinis scripturis et cantilena a puerili aetate et in presbiteri dignitate exhibuit ut decet virum suo nomine dignum.“ l. c. 363. Sergius I. 687—701. „Quia studiosus erat et capax in officio cantilenae, priori cantorum pro doctrina est traditus.“ l. c. 371. — [3] Gregorius III. 731—741. „. . . greca latinaque lingua eruditus, psalmos omnes per ordinem memoriter retinens et in eorum sensibus subtilissima exercitatione limatus.“ L. p. Duch. I. 415.

ab Italis primum inventa traduntur vel Ambrosio videlicet, vel aliis[a] nova divinarum laudum augmentatione gaudentibus[b]. Et quia gallicana ecclesia viris non minus peritissimis instructa sacrorum officiorum instrumenta habebat non minima, ex eis aliqua Romanorum officiis inmixta dicuntur, quae plerique et verbis et sono se a caeteris cantibus discernere posse fatentur[c]. Sed privilegio romanae sedis observato et congruentia rationabili dispositionum apud eam factarum persuadente factum est, ut in omnibus pene Latinorum ecclesiis consuetudo et magisterium eiusdem sedis praevaleret, quia non est alia traditio aeque sequenda vel in fidei regula vel in observationum doctrina.[1] Est etiam ille ordo officiorum laudabilis[d], quem[e] beatus pater Benedictus monachis constituit observandum, scilicet ut qui proposito a caeteris discernuntur, etiam continuae servitutis penso aliquid amplius caeteris persolvere studeant.[2] Quam dispositionem ideo a pastoribus ecclesiarum non interdici putamus, quia et vicina est auctoritati romanae et quia beatus Gregorius vitam egregii patris Benedicti describens regulam ab eodem[f] conscriptam, in qua idem officiorum ordo habetur, conlaudans[3] sua auctoritate statutis eius favere videtur. Sunt tamen, qui nescio qua praesumptione non ea velint constitutione uti, volentes pigritiam vel protervitatem suam illo excusare permissu, quo[g] sanctissimus vir per humilitatis suae magnitudinem videtur concedere, ut si cui displicuerit distributio eius, quam fecit psalmorum[h], ordinet, si aliter melius iudicaverit[4], quasi

[a] oe, alii. — [b] oe, gaudenti. — [c] oe, fateantur. — [d] m, laudabili. — [e] m, quam. — [f] oe, eo. — [g] ml, quod; M[1] quem. — [h] S.G. om. psalmorum.

[1] Cfr. sup. pag. 55 et 79 sq. — [2] Cfr. Reg. s. Bened. cp. 65. — [3] Greg. M. Dialog. l. II. — [4] Cfr. Regulam s. Bened. cp. 18. „Hoc praecipue commonentes, ut si cui forte haec distributio psalmorum displicuerit, ordinet, si melius aliter iudicaverit, dum omnimodis id atten-

aliquid[a] melius possint et[b] suo ordini congruentius invenire, quam ille qui spiritu omnium sanctorum dicitur plenus fuisse. Psalmos autem cum secundum LXX interpretes Romani adhuc habeant, Galli et Germanorum aliqui secundum emendationem, quam Hieronymus presbyter[c] de LXX. editione composuit, psalterium cantant, quam Gregorius, turonensis episcopus, a partibus[d] romanis mutuatam in Galliarum dicitur ecclesias transtulisse. Cantilenae vero perfectiorem scientiam, quam iam pene[e] tota Francia diligit, Stephanus papa [1], cum ad Pippinum, patrem Caroli magni imperatoris[f], in Franciam pro iustitia sancti Petri a Langobardis expetenda venisset per suos clericos petente eodem Pippino invexit [2], indeque usus eius longe lateque convaluit.

XXVII.

De baptismi incremento et mersione et causis baptizandorum.

De baptismo etiam dicenda sunt aliqua, quod praefiguratum in transitu maris rubri vel Iordanis [3] manifeste, secretius autem aliis multis figuris praesignatum[g] cognoscitur. Hoc Ioannes primus initio novae gratiae ad fidem Christi conversis ostendit non sua adinventione, sed divina

[a] c, quidam, mlh. quiddam. — [b] c, om. et, mlh. suoque. — [c] oe, pater. — [d] mlh. patribus. — [e] oe, pene iam. — [f] oe, in primis. — [g] oe, praefiguratum.

---

datur, ut omni hebdomada psalterium ex integro numero 150 psalmorum psallatur."

[1] Stephanus III, 752—757, cfr. L. p. Duchesne I, p. 446. — [2] Huius rei Carolus M. ipse est testis locupletissimus in duobus suis capitularibus. Cfr. M. G. leg. I, pag. 45 et 66. — [3] Exod. XIV, 21. Jos. III, 15 sqq.

constitutione provisum, sicut ipse testatur dicens: *qui misit me baptizare in aqua*[1] et reliqua. Baptizavit autem non in remissionem peccatorum, quod Christi baptismo agi consuevit, sed in paenitentiam dicens, in eum qui venturus erat ut crederent, hoc est in Iesum, de quo etiam testimonium perhibuit dicens[2]: *Ego quidem vos baptizo in aqua in paenitentiam, qui autem post me venturus est, fortior me est, cuius non sum dignus calciamenta portare, ipse vos baptizabit in spiritu sancto et igni*[a]." Et plane dignum erat[b], ut in nova generis humani per adventum filii Dei in carne salvatione novum panderetur purificationis mysterium, quatenus sicut sacerdotes levitici generis lavari consueverant ante oblationem carnalium hostiarum, ita omnes christiani nominis haeredes, qui dicuntur *regale sacerdotium*[3], lavacro spiritali a peccatorum labe mundati offerant Deo *hostias spiritales*[4] *in odorem suavitates.*[5] Sciendum autem, primo simpliciter in fluviis vel fontibus baptizatos credentes; ipse enim Dominus noster Iesus Christus, ut nobis[c] idem consecraret lavacrum, in Iordane baptizatus est a Ioanne, et sicut alibi legitur: „*Erat Ioannes baptizans in Aenon iuxta Salim, quia aquae multae erant ibi*"[6]; et Philippus evangelista eunuchum baptizavit in fonte, quem repperit in via.[7] Sicut autem supra ostendimus, crescente processu temporum religionis honore institutionum[d] ecclesiasticarum usque ad plenitudinem decus crevisse, ita et huius mystici lavacri gradatim per temporum augmenta in maius celebratio crevit. Addiderunt alii chrismatis unctionem, quam ex veteri sumptam

[a] oe, igne. — [b] ml. erit. — [c] oe, in nobis. — [d] S.G. institutionem, sed S.G. hic sane falsam exhibet recensionem.

[1] Ioan. I, 33. — [2] Matth. III, 11; cfr. Marc. I, 7 sq. Luc. III, 16. Ioan. I, 26. Act. I. 5. — [3] I. Petri 2, 9. — [4] I. Petri 2, 5. — [5] Numeri XV, 7 et pass. — [6] Ioann. III, 23. — [7] Act. VIII, 36 sqq.

consuetudine nemo qui dubitet, cum primis gratiae[a] temporibus impositione manuum baptisma[b] confirmari soleret, quod in Samaria fecisse Petrum legitur et Ioannem.[1] Quae confirmatio et tunc ad primos ecclesiae pastores pertinuit et nunc pertinere non dubitatur; unde in canonibus saepius[c] interdicitur presbyteris, ne chrisma conficiant[2] neque baptizatos in fronte consignent, quod solis debetur episcopis. Testantur hoc decreta Innocentii papae et statuta Sylvestri, qui[d] et ipse instituit, ut presbyter baptizatum chrismate liniat propter occasionem transitus mortis.[3]

[a] oe, om. gratiae. — [b] oe, baptismum. — [c] oe, saepe. — [d] oe, quia.

[1] Act. VIII, 17. — [2] Hoc interdictum primum invenitur in duobus concil. carthag. annis 386—390. can. III. „Chrismatis confectio et puellarum consecratio a presbyteris non fiant". Mansi III, 691. — [3] Silvester 314—335. „Hic et hoc constituit, ut baptizatum liniret presbyter chrisma levatum de aqua *propter occasionem mortis.*" L. p. Duch. I, 171. Decretum Innocentii I. (401—417), cuius W. hic mentionem facit, invenies in I. epist. ad Decent. c. 3. „De consignandis vero infantibus manifestum est, non ab alio quam ab episcopo fieri licere. Nam presbyteri, licet sint sacerdotes, pontificatus tamen apicem non habent. Haec autem pontificibus solis deberi, ut vel consignent vel Paracletum Spiritum tradant non solum consuetudo ecclesiastica demonstrat, verum et illa lectio Actuum Apostolorum, quae asserit, Petrum et Ioannem esse directos, qui iam baptizatis traderent spiritum sanctum. Nam presbyteris seu extra episcopum seu praesente episcopo baptizant, chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab episcopo fuerit consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo assignare, quod solis debetur episcopis, cum tradunt Spiritum Paracletum." Migne s. l. t. 20, pag. 554. De consecret. Dist. IV, c. 119. Hic distinguuntur ergo duae unctiones chrismales: una baptismatis etiam presbyteris concessa, altera confirmationis solis episcopis reservata. Haec consuetudo romana erat autem non generaliter recepta in ecclesiis Occidentis, quod intellegimus ex can. II. synod. arausic. ann. 441: „Nullus ministrorum, qui baptizandi recepit officium, sine chrismate usquam debere progredi, quia inter nos placuit semel chrismari. De eo autem, qui in baptismate quacunque necessitate faciente non chrismatus fuerit, in confirmatione sacerdos commonebitur. Nam inter quoslibet chrismatis ipsius non nisi una benedictio

Quod si a diacono vel quolibet alio homine baptizatus casu ante confirmationem transierit, credendus[a] non est perire propter hoc, quia sub fide qua credidit poterit esse salvus, si eum post commissa peccata non perimant; lege concilii eliberitani decreta.[1] Alii addiderunt in baptismatis sacramento exorcismos, alii consecrationem fontis, alii salis vel salivae infusionem, alii cathecumenorum ordinabilem instructionem, alii scrutinia diligentissimae[b] ad tantum mysterium praeparationis statuerunt[2]; sed et multa alia, quae et exemplis divinorum actuum vel dictorum inventa sunt et congruentissimis spiritalium profectuum[c] significationibus plena noscuntur, sicut copiosa priorum de eis[d] rebus documenta demonstrant. Celebratur autem ipsum baptisma verum non nisi in nomine summae trinitatis, quod et Dominus ipse ostendit[3] et canones apostolorum docent[4]; unde quicumque vel ab haereticis in trinitate baptizantibus

[a] oe, credendum. — [b] oe, diligentissime. — [c] m, perfectuum. — [d] oe, eisdem.

---

est; non ut praeiudicans quicquam, sed ut non necessaria habeatur repetita chrismatio.“ Mansi t. VI, p. 444. Cfr. *Bingham*, Origin. s. Antiqu. eccl. t. IV, p. 336. *Kraus*, Real-Encycl. t. II, p. 710. s. v. Salbung.

[1] Concilium eliberitanum anno 306 constituit 81 canones, inter quos Walafridus hic imprimis respicere videtur nr. 77: „Si quis diaconus regens plebem sine episcopo vel presbytero aliquos baptizaverit, episcopus eos per benedictionem perficere debebit; quod si ante de seculo recesserunt, *sub fide qua quis credidit poterit esse iustus.*“ Cfr. etiam nr. 38. Hefele, Conc. Gesch., Bd. 1, p. 189 sq. — [2] De variis in administrando baptismo ceremoniis vide *Kraus*, Real-Encycl. t. II, p. 823 s. v. Taufe. *Binterim*, Denkwürd. Bd. I, 1, p. 52 sqq. *Krüll*, christl. Altertumsk. I, p. 122 sqq. De scrutinio baptism. *Mayer*, Joh., Geschichte des Katechumenats. Kempten 1868. p. 108 sqq. — [3] Matth. XXVIII, 19. — [4] Can. apost. n. 49. Εἴ τις ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος κατὰ τὴν τοῦ κυρίου διάταξιν μὴ βαπτίσῃ εἰς πατέρα καὶ υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα, ἀλλ' εἰς τρεῖς ἀνάρχους ἢ τρεῖς υἱοὺς ἢ τρεῖς παρακλήτους· καθαιρείσθω. Cfr. Drey, Neue Untersuch. über die Constit. und Canon. der Apost. Tüb. 1832. p. 262.

vel ab alio quolibet homine sub appellatione legitima eiusdem sanctae trinitatis fuerit baptizatus, rebaptizari non debet, ne invocatio summae divinitatis adnullari videatur, sed chrismate et manus impositione, quod imperfectum erat, perfici debet. Hoc in canonibus et decretis patrum frequens habetur. Legitur quoque in ultimo ecclesiasticae historiae libro [1], quod Athanasius adhuc puer inter coaevos baptismatis similitudinem per ludum exercuerit; Alexandrum etiam Alexandriae praesulem cognita interrogatione baptistae et responsione baptizatorum et caeteris, quae quamvis per ludum, tamen iuxta nostram religionem gesta sunt, non rebaptizandos iudicasse, sed usitatis ecclesiae confirmandos mysteriis. Concilio quoquo eliberitano fidelibus plenum baptisma habentibus in necessitate baptizare permittitur.[2] Victor etiam XV Romanorum pontifex constituit, „ut necessitate faciente ubi et ubi[a] inventum fuisset sive in flumine sive in mari sive in fontibus, christianae credulitatis confessione clarificata, quicumque ex gentilitate veniens baptizaretur.“ [3] In hoc tamen et similibus non tribuitur quibuscumque baptizandi indiscreta licentia, cum in[b] concilio carthaginensi mulieres prohibeantur baptizare.[4] Sed demon-

[a] oe, liceat ubi. — [b] oe, om. in.

---

[1] Cfr. Rufin, Hist. eccl. lib. I, cp. XIV. Migne s. l. XXI, p. 487. — [2] Can. 38. „Loco peregre navigantes aut si ecclesia proxima non fuerit, posse fidelem, qui lavacrum suum integrum habet nec sit bigamus, baptizare in necessitate infirmitatis positum catechumenum.“ Cfr. sup. p. 87 not. 1. — [3] Victor 189—199. „Et constituit, ut necessitate faciente ut ubiubi inventus fuisset, sive in flumine, sive in mari, sive in fontibus, tantum christianae confessione credulitatis clarificata, quicumque hominum ex gentili veniens ut baptizaretur.“ L. p. Duch. I, p. 137. — [4] Concilium carthag. ut dicitur quartum ann. 398 constituit can. 100: „Mulier baptizare non praesumat“; hos vero canones non sanctiones synodales, sed generalia statuta ecclesiae antiquae esse, *Ballerini* clare demonstrabant. Opp. Leonis M. t. III, praef. p. 79 sqq. cfr. Hefele Conc. Gesch. II, p. 68.

stratur per haec, ubi inevitabilis necessitas poscit, melius baptizari ubicumque et a quocumque in nomine trinitatis, quam periclitantem sine remedio deperire.[a] Unde etiam tempora baptizandi legitima in talibus necessitatibus observanda non sunt, sed iuxta decreta Leonis aegritudine, persecutione, obsidione et naufragio periclitantibus semper est succurrendum [1]; et concilio gerundensi unius diei infans, si in discrimine sit, baptizari iubetur.[2] Eos autem, de quibus incertum est, id est qui nullo testimonio probare possunt, se esse baptizatos, ex concilio carthaginiensi et decretis Leonis discimus baptizari debere [3]; illos vero, qui baptizatos quidem se[b] noverunt, sed in qua professione ignorant eiusdem Leonis papae decreta sub manus impositione suscipiendos constituunt.[4] Tempora autem baptizandi legitima pascha et pentecostes praefiguntur secundum decreta Syricii, Leonis vel Gelasii episcoporum, quamvis concilio gerundensi natalis Domini et pascha ponantur.[5]

[a] M[1], perire. — [b] oe, se quidem.

---

[1] Leo I, 440—461 in epistula sua ad universos episcopos per Siciliam constitutos: . . . „ut hi, quos a die paschae aut molestia infirmitatis aut longinquitas itineris aut navigationis difficultas interclusit invitos aut quibuslibet necessitatibus impeditos desiderii sui effectum dono spiritus sancti consequantur.“ . . . „ut in mortis periculo, in obsidionis discrimine, in persecutionis angustiis, in timore naufragii, nullo tempore hoc verae salutis singulare remedium cuiquam denegemus.“ Baller. Opp. Leon. I, p. 727 sqq. Migne t. 54. 703. — [2] Concilium gerundense anno 517, can. V. „De parvulis vero, qui nuper materno utero editi sunt, placuit constitui, ut si infirmi, ut assolet, fuerint et lac maternum non appetunt, etiam eadem die qua nati sunt baptizentur.“ Mansi t. VIII, p. 549. — [3] Cfr. epist. 166 Leon. ad Neonem Ravenae episcopum. Ball. opp. I, 1405. Migne t. 54, p. 1199. — [4] Cfr. epist. ad Nicetam, aquileiensem episc. Opp. Leon. t. I, p. 1330; Migne t. 54. 1135. — [5] In concilo gerundensi anno 517 (supra not. 2) can. IV, non dies natalis Domini, ut vult Walafridus, sed pascha et pentecostes ut dies baptismales constituti sunt.

Alii quoque in epiphania Domini baptizare voluerunt, quia eo tempore Dominum nostrum traditur baptizatum, quod et ipsum ab aliis prohibetur.[1] Quia vero secundum apostolum in morte salvatoris baptizamur[2] et ipse Dominus intraturos in[a] regnum caelorum ex aqua et spiritu renasci debere praemonstrat[3], congrue a praesulibus Romanorum haec duo tempora sola ad celebrationem praefixa sunt baptismatis[b], id est pascha et pentecostes, quorum uno passio et resurrectio Domini, altero adventus celebratur spiritus sancti. Alii trinam mersionem[c] volunt in similitudinem triduanae sepulturae, ut in canonibus apostolorum statutum habetur[4] et Romanorum consuetudo observat; alii unam propter divinitatis unitatem contendunt, ut in concilio toletano plenissime habetur[5], ubi etiam commemoratur, quod beatus Gregorius interroganti super hoc Leandro inter caetera ita responderit: *„quia in una fide nihil officit ecclesiae consuetudo diversa. Nos autem, quod tertio mergimus triduanae sepulturae sacramenta signamus, ut dum tertio ab aquis infans educitur resurrectio triduani temporis exprimatur. Quod si quis forte etiam pro summae trinitatis veneratione existimet fieri, neque ob[d] hoc aliquid obsistit baptizandum semel in aquis mergere; quia dum in tribus subsistentiis una substantia est, repraehensibile esse nullatenus poterit[e], infantem baptismate ter[f] vel semel mergere, quando et in tribus mersionibus personarum tri-*

[a] oe, om. in. — [b] chl, baptizatis. — [c] oe, immersionem. — [d] textus synod. ad hoc. — [e] text. synod. potest. — [f] text. synod. vel ter.

[1] Cfr. epistulam Leonis I, ad episcopos Siciliae supra memoratam; p. 89 not. 1. — [2] Roem. VI, 3. — [3] Ioann. III, 5. — [4] can. apost. 50. „Si quis episcopus vel presbyter non trinam mersionem unius mysterii celebret, sed semel mergat in baptismate, quod dari videtur in Domini morte, deponatur.“ — [5] Conc. tolet. IV, anno 633, can. VI. Mansi t. X, p. 614.

nitas et in una potest divinitatis singularitas designari.“ Quae singularis mersio quamvis tunc ita Hispanis complacuit dicentibus, trinam mersionem ideo vitandam, quia haeretici quidam dissimiles in trinitate substantias dogmatizantes ea usi sint[a] ad consubstantialitatem sanctae trinitatis negandam, tamen antiquior usus praevaluit et ratio supradicta. Si enim omnia deserimus, quae haeretici in suam perversitatem traxerunt, nihil nobis restabit, cum illi in ipso Deo errantes omnia, quae ad eius cultum pertinere visa sunt, suis erroribus quasi propria applicarint Notandum autem, non solum mergendo, verum etiam desuper fundendo multos baptizatos fuisse et adhuc posse ita baptizari, si necessitas sit. Sicut in passione beati Laurentii quendam urceo allato legimus baptizatum [1], hoc etiam solet evenire, cum provectiorum[b] granditas corporum in minoribus vasis hominem tingui[c] non patitur.

Notamdum deinde, primis temporibus [2] illis solummodo baptismi gratiam dari solitam, qui et corporis et mentis integritate iam ad hoc pervenerant, ut scire et intellegere possent, quid aemolumenti in baptismo consequendum, quid confitendum atque credendum, quid postremo renatis in Christo esset servandum. Refert siquidem venerabilis pater Augustinus de se ipso in libris confessionum suarum, quod

[a] oe, dogmatizare ausi sunt. — [b] lm, perfectiorum. — [c] oe, tingi.

[1] Hanc legendam exhibet Ado, Walafrido aequalis, in Martyrologio suo, ed. *Rosweyd*, Antw. 1613. *Dom. Georgius*, Romae 1745. Cfr. De Rossi Roma sott. II, pag. XXVII sqq. — [2] Haec Walafridi opinio plane erronea est. Ab ipsis ecclesiae primordiis etiam infantes baptizatos esse, nemo negabit, qui legerit, quod scribit Cyprianus carthag. episcopus de synodo quadam Idib. Maii ann. 252 celebrata, ubi unanimiter reiecta est sententia Fidi episcopi proferentis: „intra secundum vel tertium diem quam nati sint constitutos baptizari non oportere“; placuit econtra synodo: „nulli hominum nato misericordiam Dei et gratiam esse denegandam.“ Cypr. epist. 64, ed. Hartel. corp. ss. eccl. lat. t. III, 1, p. 718.

pene usque ad XXX[a] annorum aetatem cathecumenus perdurarit, ea videlicet intentione, ut per hanc temporis moram de singulis edoctus ad eligendum quodlibet libero duceretur arbitrio et defervescentibus lubricae aetatis incendiis melius, quod sequendum erat, servare potuisset.[1] Sed augescente divinae religionis diligentia intellegentes christiani dogmatis amatores, peccatum Adae originale non solos eos tenere obnoxios, qui suis operibus praevaricationem auxerunt, sed etiam eos, qui sine suis commissis, quia secundum psalmistam in iniquitatibus concepti[2] et nati sunt, immunes a peccato esse non possunt, dum de polluta radice procedunt, ut merito de omnibus dicatur per apostolum: *omnes enim*[b] *peccaverunt et egent gloria Dei. Justificati gratis per gratiam ipsius*[3], et de Adam: *in quo omnes peccaverunt*[4]: hoc ergo sentientes sanae fidei sectatores, ne perirent ~~par-~~ parvuli, si sine remedio regenerantis[c] gratiae defungerentur, statuerunt[d], eos baptizari in remissionem peccatorum. Non sicut haeretici quidam gratiae Dei repugnantes contendebant, nulla necessitate parvulos baptizari, quia nondum peccassent; quod si verum esset, vel non baptizandi erant vel si extra necessitatem baptizarentur, imperfectum et non verum in eis erat baptismi sacramentum, quod in symbolo confitemur dari in remissionem peccatorum. Ergo quia omnes, quos gratia Dei[e] non liberat, pereunt in originali delicto, etiam qui sui sceleris non adiecerunt augmenta, necessario parvuli baptizantur; quod et sanctus Augustinus in libro de baptismo parvulorum ostendit, et africana testantur concilia[5] et aliorum patrum documenta

[a] mlh, XXV. — [b] oe, om. enim. — [c] oe, regenerationis. — [d] ml, om. statuerunt. — [e] SG., om. Dei.

[1] Cfr. Confess. l. VI, VIII et IX. — [2] Ps. 50, 7. — [3] Roem. III, 23, 24. — [4] Roem. V, 12. — [5] Imprimis concilia contra Pelagianos ab anno 411 celebrata. Cfr. Hefele Concil. Gesch. II, p. 104 sqq.

quam plurima. Ex hac igitur occasione inventum est, ut patrini vel matrinae adhibeantur suscepturi parvulos de lavacro et pro eis respondeant omnia, quae ipsi per aetatis infirmitatem confiteri non possunt. Pariterque debet spiritalis pater vel mater ei, quem de fonte regenerationis suscepit, cum ad intellegibilem pervenerit aetatem insinuare confessionem, quam pro eo fecit, ut qui aliena confessione sicut paraliticus fide portantium [1] meruit a peccatorum solvi languore, studeat saluti praestitae vivere non indigne et sua impleat exsecutione, quod illorum confessus est ore, si non vult salvatione carere, quam illorum meruit fide. Non autem debet pater vel mater de fonte suam suscipere sobolem, ut sit discretio inter spiritalem generationem atque carnalem; quod si casu evenerit, non habebunt carnalis copulae deinceps ad invicem consortium, qui in communi filio compaternitatis spiritale vinculum susceperunt. Baptizandi sunt itaque non solum per aetatem loquentes et intellegentes quae aguntur, sed etiam nondum per se pro se[a] loquentes. Sicut etiam synodus carthaginiensis [2] baptizandos statuit aegrotos, qui iam loqui non possunt, cum voluntatis eorum testimonium sui dixerint aut ipsi aliquibus signis comprobare potuerint. Mortuis vero baptisma vel eucharistiam dari supradicti loci prohibetur concilio [3], quamvis primis praedicationis evangelicae temporibus tanti fervoris quidam in divina credulitate referuntur fuisse, ut pro quibusdam carissimis ante adnuntiationem veritatis vel baptismi perceptionem defunctis baptizari studerent, quod

[a] oe, per se vel pro se.

[1] Luc. V, 18 sqq. — [2] Imo hipponensis anno 393 celebr. can. 32, ser. sec. Mansi III, 923. — [3] Eadem synodus hippon. c. 4, series secund. Mansi III, 919: „ut corporibus defunctorum Eucharistia non detur . . . Deinde cavendum est, ne mortuos etiam baptizari posse fratrum infirmitas credat.“

apostolus Paulus ad astruendam resurrectionis fidem commemorat[1], quia nisi crederentur resurrecturi stultum erat, pro eis qui iam non existerent laborare.[2]

XXVIII.

De decimis dandis.

Decimas[3] Deo et sacerdotibus Dei dandas Abraham factis[4], Iacob promissis insinuat[5], deinde lex statuit[6] et omnes doctores sancti commemorant. Et profecto dignum erat, ut Israelitae decimas pecorum et frugum et omnium pecuniarum Domino darent, qui ut eos liberaret decem plagis percussit Aegyptios et in novissima plaga primogenita cunctorum disperdidit gratiamque suis praestitit, qua[a] impetratis pecuniis spoliarent Aegyptum. De quibus decimis Augustinus doctor mirabilis dicit: „*decimae ex debito requiruntur. Quid si diceret Deus, nempe meus es o homo! mea est terra quam colis, mea sunt semina quae spargis, mea animalia quae fatigas, meus est solis calor; et cum mea omnia sint, tu qui minus accomodas*[b], *solam decimam merebaris, sed reservo tibi novem, da mihi decimam. Si non dederis mihi decimam, auferam novem; si dederis mihi*

[a] oe, ut; M, quo. — [b] M, adimples.

---

[1] I Cor. XV, 29. De verbis οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν exegetice disseruit Dr. *Ilg* in Tübinger theolog. Quartalschrift 1875, p. 684 sqq. — [2] De baptismo et ceremoniis in eo conferendo adhibitis confer quoque quaestiunculam quandam, quam reperi in eodem codice Sangallansi contentam, qui in edendo hoc opere dux mihi fuit, quamque haud indignam habui, quam publici iuris facerem. Cfr. append. n. II, p. 104. — [3] Hic incipit alterum fragmentum cod. M. — [4] Genes. XIV, 20. — [5] Genes. XXVIII, 22. — [6] Levit. XXVII, 30.

decimam, multiplicabo novem."[1] Cum itaque iudaicus populus praeceptum decimarum tanta diligentia observaret, ut de minimis quibusque holusculis[a], ruta videlicet, menta et cymino, ut ipse Dominus testatur[2], decimas daret, cur non maiori studio plebs evangelica eandem impleat iussionem, cui et maior est numerus sacerdotum et sincerior cultus sacramentorum? Ideo ergo dandae sunt decimae, ut hac devotione Deus placatus largius praestet, quae necessaria sunt, sicut superius ostendimus, et[b] ut sacerdotes et ministri ecclesiae cura et sollicitudine necessitatum corporalium, quibus sine haec vita transigi non potest, relevati liberiores fiant ad meditationem divinae legis et doctrinae administrationem atque spiritalis servitii voluntariam expletionem, et ut munus populi in cotidiana oblatione[c] Domino immoletur necnon secundum statuta canonica in sustentationem pauperum et restaurationem ecclesiarum proficiat. Quatuor enim partes iuxta canones fieri de fidelium oblationibus debent, ut una sit episcopi, altera clericorum, tertia pauperum, quarta restaurationi ecclesiarum servetur.

XXIX.

De laetaniis agendis.

Laetanias, id est rogationes publicas, quas maiores vocamus, Romani una die denominata, id est VII Kal. Maii annuatim facere solent, quas Gregorius papa initio ordinationis suae instituit, dum post aquarum inundationem in-

[a] M, olusculis. — [b] oe, ac. — [c] mlh, cotidianam oblationem.

[1] Cfr. August. Serm. 277 De reddendis decimis. Migne s. l. t. 39, p.2266. — [2] Matth. XXIII, 23.

solitam[a] inguinaria lues[b] primo Pelagio papa extincto populum vastaret romanum; qui[c] tunc eo modo septenam ordinavit laetaniam, sicut Paulus in gestis Langobardorum[d] commemorat, ut precaturos Dominum in septem turmas distribueret, quo pietatem domini multiplicius implorarent. „*In primo choro fuit clerus, in secundo omnes abbates cum monachis suis, in tertio omnes abbatissae cum congregationibus suis, in quarto omnes pueri, in quinto omnes laici, in sexto omnes viduae, in septimo omnes mulieres coniugatae.*“ [1] Triduanae autem laetaniae, quae proximis diebus ante ascensionem Domini annue per omnes Galliarum vel Germaniae ecclesias celebrantur, in Galliis sunt constitutae. Temporibus siquidem Chlodovei, regis Francorum, qui cum gente sua primus christianus effectus est, dum civitas Viennensium crebro terrae motu subrueretur et bestiarum desolaretur incursu, sanctus Mamertus[2], eiusdem civitatis episcopus, eas legitur pro malis quae praemisimus ordinasse, quas aurelianensis synodus[3] et eo tempore fieri iubet et ab opere servili, ut plenius celebrentur, omnes vacare. Hispani autem propter hoc quod scriptum est: *non possunt filii sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus*[4], infra quinquagesimam paschae recusantes ieiunare laetanias suas post pentecosten posuerunt, V et VI et VII feria[e] eiusdem ebdomadis eas facientes. Alii eorum

---

[a] ch, insolita. — [b] mlh, ing. et insolita lues. — [c] oe, quia. — [d] M, Longob. — [e] oe, feriis.

---

[1] Cfr. Pauli, Hist. Langobard. l. III, cp. 24. M. G. SS. Langob. et ital. sec. VI—IX, p. 105. — [2] Episcopus viennensis 463—475. — [3] Synodus aurelianensis ann. 511 can. XXVII constituit: „Rogationes, id est litanias ante ascensionem Domini ab omnibus ecclesiis placuit celebrari; ita ut praemissum triduanum ieiunium in dominicae ascensionis festivitate solvatur; per quod triduum servi et ancillae ab omni opere relaxentur, quo magis plebs universa conveniat.“ Mansi, t. VIII, 355. — [4] Matth. IX, 15.

idibus Decembribus triduanum statuerunt ieiunium, alii Kalendis Novembribus[a]. Notandum autem, laetanias non tantum dici illam recitationem nominum, qua sancti in adiutorium vocantur infirmitatis humanae, sed etiam cuncta, quae in[b] supplicationibus fiunt, rogationes[c] appellari. Laetaniae[d] autem sanctorum nominum postea creduntur in usum assumptae, quam Hieronymus martyrologium secutus Eusebium Caesariensem per anni circulum conscripsit[1], ea occasione ab episcopis Chromatio et Heliodoro illud opus rogatus componere[2], quia Theodosius, religiosus imperator, in concilio episcoporum laudavit Gregorium, cordubensem episcopum, quod omni die missas explicans eorum martyrum, quorum natalitia essent, nomina plurima commemoraret.

XXX.

De aqua sparsionis.

Aquam sparsionis cum sale benedici et in habitaculis fidelium spargi, Alexander papa constituit.[3] Sicut enim

[a] oe, Decembribus. — [b] oe, om. in. — [c] oe, orationes, supplent autem rogat. — [d] oe, sing. laetania.

[1] Huius Martyrologii Hieronymum auctorem non fuisse, dubium non est; de eius origine latius agitur in *Kraus*, Roma sott. p. 19. — [2] cfr. Introd. Martyrologii. — [3] Alexander I, c. 105—115. „Hic constituit aquam sparsionis cum sale benedici in habitaculis hominum.“ L. p. Duch. I, 127. In sacramentario Gelasiano p. III, n. 75 (Muratori liturg. Rom. vet. I, p. 738) invenies orationes benedic. et sparg. aquae fere easdem, quibus hodie adhuc utitur ecclesia occidentalis; ex. gr.: „Deus, qui ad salutem humani generis maxima quaeque sacramenta in aquarum substantia condidisti, adesto invocationibus nostris et elemento huic“ etc., et ad sparg.: „Exaudi nos, Domine sancte, pater omnipotens, aeterne Deus et mittere dignare Angelum tuum sanctum de caelis“ etc.

populus prior legalibus institutis deserviens sanguine lustrabatur [1], ita novus christianorum populus baptismi sacramento renatus digne aqua benedicta aspergitur, ut sicut sanguis agni in postibus ad repellendum percussorem ponebatur, ita mysterium aquae corpora et loca muniat renatorum.[2]

XXXI.

De benedictione cerei.

Cereum autem benedici non solum in principalibus ecclesiis, sed etiam in parochiis Zosimus papa constituit [3]; quod ipsum concilio toletano ostenditur [4], quosdam Hispanorum observasse, quosdam neglexisse.

XXXII.

Comparatio ecclesiasticorum ordinum et secularium et conclusio libelli.

Circa harum calcem nugarum [a] placet inserere quandam saecularium atque ecclesiasticarum comparationem digni-

[a] oe, rerum.

---

[1] Exod. XXIV, 8. — [2] Exspirat hic alterum fragm. cod. M. — [3] Zosimus 417—418. „Hic constituit . . . et per parrocia concessa licentia cereum benedici.“ L. p. Duch. I, 225. — [4] Concilium toletanum IV. anno 633 can. IX. declarat: „Lucerna et cereus in praevigiliis paschae apud quasdam ecclesias non benedicuntur et cur a nobis benedicantur inquirunt.“ „Et quia haec observatio per multarum loca terrarum regionesque Hispaniae in ecclesiis commendatur, dignum est, ut propter unitatem pacis in gallicanis ecclesiis conservetur.“ Mansi X, 616. Ceremonias in praeparando agno paschali sabbato sancto vide Murat. l. c. II, p. 1004.

tatum, quamvis non nesciam, ordinationes potestatum et officiorum tanta diversitate pro varietate gentium, locorum et temporum perplexas, ut de eis vix aliquid certi possit exponi. Quotus[a] enim quisque est, qui se scire fateatur, quibus non dico Assyriorum, Medorum et Macedonum, sed vel Romanorum, quod notius et proximius nobis est, imperium distributum fuerit et ordinatum amministrationibus et officiis, cum per longitudinem temporum aliae potestates aliis mutatae sint, aliae additae[b], aliae sublatae[c], ut ipsa instabilitate rerum humanum esse et temporarium comprobetur, quod quadam inconstantia et in maius extenditur et in minus contrahitur? Omissis igitur[d] incertis quae notiora sunt invicem comparemus, ut ostendamus, ordinationes mundanae sapientiae in spiritalem ecclesiae universalis rempublicam sacris distinctionibus commutatas in similitudinem antiquae historiae, qua vel pecuniae Aegyptiorum in usum tabernaculi[1] vel cedri de Libano caesi in templi aedificationem profecisse.[2] Raab quoque, Ruth[e] et Achior in numerum populi Dei translati narrantur.[3]

Sicut augusti[f] Romanorum totius orbis monarchiam tenuisse feruntur, ita summus pontifex in sede romana vicem beati Petri gerens totius ecclesiae apice sublimatur; de quo sardicensi concilio statuitur[4], cunctorum statuta ad eum referri debere idque observandum, quod ipse statuerit. Sicut vero summus saeculi principatus non tantum apud Romanos, verum etiam apud aliarum partium gentes interdum fuit, ita et aliae ecclesiae dignitati sedis romanae consociantur, id est an-

---

[a] M[1], quot. — [b] oe, subditae. — [c] ch, additae; ml, abditae. — [d] oe, ergo. — [e] oe, et Ruth. — [f] oe, autem gens.

---

[1] Exod. XI, 2. XII, 35. — [2] III Reg. V, 6. — [3] Iosue II, 3 sqq. Ruth IV, 5, 10. Iud. VI, 6. — [4] Concilium sardic. anno 344 adscribendum est et statuta, quae intellegit hic Walafridus, can. 3, 4 et 5 contenta sunt. Cfr. Hefele Concil. Gesch. Bd. I, p. 560 sqq.

tiochensis in Asia, alexandrina in Africa. In concilio enim nicaeno harum trium privilegium ecclesiarum caeteris omnibus anteferendum ostenditur.[1] Sed potest[a] trium locorum eminentia ad unam dignitatem referri, quia in duobus horum ipse Petrus sedit, tertium nihilominus, id est Alexandriam per Marcum filium suum et evangelium, quod ex ore eius ipse Marcus descripserat, suam effecerat sedem. Similiter intellegendum de principatibus saeculi, quod quamvis in diversis orbis partibus per tempora sua fulserint, tamen ad ius romanum quasi unum apicem postremo omnes pene relati sunt. Comparetur ergo papa romanus augustis et caesaribus, patriarchae vero patriciis, qui primi post caesares in imperiis fuisse videntur, ita et isti, qui satis pauci sunt, primi post trium sedium praesules habentur. — Deinde archiepiscopos, qui ipsis metropolitanis praeminent, regibus conferamus; metropolitanos autem ducibus comparemus, quia sicut duces singularum sunt provinciarum, ita et illi in singulis provinciis singuli[b] ponuntur; unde in chalcedonensi concilio iubetur: ne una provincia in duos metropolitanos dividatur.[2] — Quod comites vel praefecti in saeculo, hoc episcopi caeteri in ecclesia explent. Fertur enim, in Orientis partibus per singulas urbes et praefecturas singulas esse episcoporum gubernationes. — Sicut tribuni militibus praeerant, ita abbates monachis, athletis spiritalibus, praeesse noscuntur. — Quemadmodum sunt in palatiis praeceptores[c] vel comites palatii, qui saecularium causas ventilant, ita sunt et illi, quos summos cappellanos Franci appellant, clericorum causis praelati. Cappellani minores ita sunt sicut hi, quos vassos dominicos gallica consuetudine nominamus. Dicti sunt autem primitus cappellani a

[a] c, post. — [b] m, singulis. — [c] M[1], praetores.

[1] Can. VI concilii nicaeni cfr. Hefele Conc. Gesch. Bd. I, p. 389 sqq. — [2] Can. XII chalcedon. concil. Decret Grat. c. 1. Dist. 101.

cappa beati Martini, quam reges Francorum ob adiutorium victoriae in praeliis solebant secum habere, quam ferentes et custodientes cum caeteris sanctorum reliquiis clerici cappellani coeperunt vocari. — Porro sicut comites quidam missos suos praeponunt popularibus, qui minores causas determinent, ipsis maiora reservent, ita quidam episcopi chorepiscopos[a] habent, qui in rebus sibi congruentibus quae iniunguntur efficiunt. — Centenarii qui et centuriones[b] vel vicarii, qui per pagos statuti sunt, presbyteris plebium, qui baptismales ecclesias tenent et minoribus praesbyteris praesunt, conferri queunt. — Decuriones vel decani, qui sub ipsis vicariis quaedam minora exercent, minoribus presbyteris titulorum possunt comparari. — Sub ipsis ministris centenariorum sunt adhuc minores, qui collectarii, quaterniones vel duumviri possunt appellari, quia colligunt populum et ipso numero ostendunt, se decanis esse[c] minores. Sunt autem ipsa vocabula ab antiqua consuetudine mutuata, in qua officia praelatorum dicebantur ex numero subiectorum ut sunt chiliarchi graece, latine millenarii, centenarii vel centuriones, pentacontarchi vel quinquagenarii, decani vel decuriones, quaterniones, duumviri. — Ad horum, id est minorum[d] similitudinem sunt diaconi et subdiaconi, presbyterorum adiutores in verbo, baptismo et cotidiano officio. — Sunt etiam archipresbyteri in episcopiis canonicorum curam gerentes. — Habent et potentes[e] saeculi consiliarios in domesticis et liberorum paedagogos suorum, habent ipsi procuratores rei familiaris; similiter in quibusdam ecclesiis ad[f] archidiaconos familiae respicit gubernatio. — Sunt in saecularibus quaestionarii, id est qui reos examinant, sunt in ecclesia exorcistae, daemonum exclusores; habent aulae potentium ianitores, habet et domus Dei ostiarios; habet

[a] oe, coepiscopos. — [b] oe, centenariones. — [c] ml, om. esse. — [d] oe, om. id est minorum. — [e] oe, potestates. — [f] oe, om. ad.

mundus[a] veredarios, commentarienses, ludorum exhibitores, carminum pompaticos relatores, habet ecclesia acolytos, lectores, cantores atque psalmistas. Caeterum ex utriusque ordinis coniunctione et dilectione una domus Dei construitur, unum corpus Christi efficitur cunctis membris officiorum suorum fructus mutuae utilitati conferentibus, dum oculus est in sapientibus, qui veram lucem et[b] percipiunt et insinuant, os in doctoribus, auris in benevolis auditoribus, nasus in discretionis amatoribus, manus in operatoribus, pedes in proficientibus, venter in compatientibus, umeri in laborum toleratoribus et caetera[c] in caeteris, *ut non sit scisma in corpore, sed si gloriatur unum membrum, congaudeant omnia membra, si contristatur unum, cuncta condoleant.*[1] Ista convenientia eousque tenenda est, *donec occurramus omnes in virum perfectum*[2], *ut sit Deus omnia in omnibus.*[3]

Gravi pondere tandem solutus et utinam tam profectuoso quam magno! in fine conclusionis lecturos obtestor, ne quod obedientiae devotione[d] subii, tribuant[e] temerariae praesumptioni. Fateor etenim[f], me nec repperisse cuncta, quae dilucidare cupii[g] nec cuncta posuisse, quae repperi, cum et rerum magnitudo sciendi cupiditatem succenderet et diversitatum confusio fastidii nimietatem praeberet. Habebit tamen in his lectoris mei curiosa vestigatio et si non copiam satietatis, qua delectetur, qualemcumque[h] causam inquisitionis, qua melius exerceatur. — Finit.

[a] M[1], et mundus. — [b] ml, om. et. — [c] oe, cuncta. — [d] oe, om. devotione. — [e] oe, isti tribuant. — [f] oe, enim. — [g] oe, cupivi. — [h] oe, qualemcunque tamen.

---

[1] I Cor. XII, 25 sq. — [2] Eph. IV, 13. — [3] I Cor. XV, 28.

Appendix.

I.

„Ite missa est.“

Ex Flori diaconi lugdunensis († c. 860) expositione missae.

Cod. lat. Monac. n. 14581 sec. XI, fol. 65. Cfr. Martene. Vett. Script. ampl. coll. t. IX, p. 648 sq.

„Finitis vero omnibus astanti et observanti populo absolutio datur inclamante diacono: *Ite missa est.* (Altera missa sc. leiturgia graeca lingua dicitur, quae in latino interpretatur interpellatio pro plebe, id est intercessio pro populo.[1]) Missa ergo nihil aliud intellegitur quam dimissio, id est absolutio, quam celebratis omnibus tunc diaconus esse pronuntiat, cum populus a sollempni observatione dimittitur. Unde et missam catecumenorum canones dicunt, quando post evangelii lectionem incipiunt celebrari sacra mysteria, quibus nullum nisi baptismi fonte regeneratum interesse licet. Tunc enim clamante diacono iidem catecumeni mittebantur, id est dimittebantur foras. Missa ergo catecumenorum fiebat ante actionem sacramentorum; missa fidelium fit *post* confectionem et participationem (eorundem sacramentorum).“[2]

---

[1] Haec sententia deest ap. Martene l. c. — [2] Deest ap. *Martene* l. c. Cfr. etiam Tübg. Theol. Quartalschrift Bd. 71, p. 531 (1889), ubi P. Odil. *Rottmanner* clare et docte disseruit super interpretatione vocis „Missae“.

II.

Quaestiuncula quaedam de baptismo.

Cod. Sangall. n. 446 sec. X. fol. 83.[1] Cfr. Amalarius trevirens. archiep. ad Carolum Magn. de ceremoniis baptismi. *Gerbert*, Monument. vet. liturg. alam. II, pag. 293.

Baptismum graece, latinum tinctio interpretatur, quod idcirco tinctio dicitur, quia ibi homo spiritu gratiae in melius mutatur et longe aliud quam erat efficitur. Baptizatus in nomine patris et filii et spiritus sancti, sicut in tribus testibus fiat omne verbum[2], ita et hoc sacramentum confirmat ternarius numerus nominum divinorum, idem patris et filii et spiritus sancti per aquam baptismum (?) datur, quia super aquam etiam in principio ferebatur spiritus sanctus.[3]

De mysteriis sacri baptismatis.

In illo officio primum paganus cathecuminus (id est audiens) fit accedens ad baptismum, ut renuntiet maligno spiritui et omnibus damnosis eius operibus et pompis. Exsufflatur etiam, ut fugato diabolo Christo domino nostro paretur introitus. Exorcizetur: idem coniuretur malignus spiritus, ut exeat et recedat dans locum deo vero. Accipit cathecuminus salem, ut putrida et fluxa eius peccata, quibus ante maduit sapientie sale condita divino munere mundantur. Dein symboli apostolici traditur ei fides, ut vacua domus et a prisco habitatore derelicta fide ornetur et ut praeparetur habitatio deo. Tunc fiunt scrutinia, ut exploretur certius, an post renuntiationem satanae verba datae

[1] Nota ad marginem ab eadem manu scripta, quae textum exaravit, exhibet: „istud a palatio aquisgrani venit.“ — [2] Matth. 18, 16. — [3] Genes. I, 2.

fidei radicitus cordi defixerit. Tanguntur et nares, ut quamdiu spiritum naribus trahat, in fide accepta perduret. Pectus quoque eodemque perunguitur oleo, ut signo sancte crucis diabolo claudatur ingressus. Signantur et scapulae, ut undique muniatur; item in pectoris et scapule unctione signatur fidei firmitas et operum (fol. 84) bonorum perseverantia. Et sic in nomine sanctae trinitatis trina *submersione* baptizatur; et recte homo, qui ad imaginem sanctae trinitatis creatus est, per invocationem sanctae trinitatis ad eandem renovatur imaginem et qui tertio gradu peccati, id est suasione, delectatione et consensu cecidit in mortem, tertio elevatus de fonte per gratiam resurgat ad vitam. Tunc albis induitur vestimentis propter gaudium regenerationis ad castitatem vitae et angelici splendoris docorem. Tunc sacro chrismate caput perunguitur et mystico tegitur velamine, ut intellegat, se diadema regni et sacerdotii dignitatem portare iuxta apostolum: *vos estis genus regale et sacerdotale,* offerentes vosmet ipsos deo vivo *hostiam sanctam et deo placentem.*[2] Sic corpore et sanguine domini confirmatur, ut illius sit capitis membrum, qui pro nobis passus est et resurrexit. Novissime per impositionem manus a summo sacerdote septiformis gratiae spiritum accipit, ut roboretur per spiritum sanctum ad praedicandum aliis, qui fuit baptismo per gratiam vitae donatus aeternae.

---

[1] I Petr. II, 9. — [2] Roem. XII, 1.

III.

Documentum administrationis abbatis Walafridi.

(Ex *Dümgé*, Regesta Badens. Karlsruhe 1836, p. 70 sq. Cfr. König, Freiburger Diöcesan-Archiv Bd III (1868), p. 405 sqq.)

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Walafredus Deo favente Augiensium abbas quamvis indignus. Omnium fidelium nostrorum tam praesentium quam futurorum comperiat industria, qualiter nos cum senioribus residentes et tam de futuro quam de praesenti fratrum commodo praemeditantes disposuimus, quid utilitatis et quale debitum singulis annis nostro communi cellerario posset conferri:

De *Chuningespache* (Königsbach in archiduc. Bad.) X haspas [1] de canafo. De *Otelingen* (Ettlingen) similiter. In *Marchelvingen* debent esse VI mansarii [2], qui has parare debent. De *Pirningen* (Böringen) X modios leguminum, C casei, unam ovem, IV haspas de filis [3], V de canafo, unum cadum de melle. [4] De *Emphingen* (in princip. Sigmaringen) similiter. De *Pinestorf* (Binsdorf in regno Württemb.) similiter. De *Wagingen* (Wehingen Württemb.) similiter et unam padellam. [5] De *Tuseling* (Deisslingen Württemb.) similiter et in natale Domini C scudellae et unam magnam scudellam [6], vasa parapsidum [7] et in assumptione S. Mariae L scudellas et in pasca C scudellas et L parapsidum. De *Meringen* (Moehringen) similiter sicut de *Wingen* (Wehingen) et XII ollas [8]

---

[1] haspa = nhd. Haspel, frz. dévidoir, engl. staple, id est mensura quaedam filorum de canafo aut de lino deductorum, in vulgari sermone Schneller = mille cubiti filorum. — [2] mansarius = colonus. — [3] Id est de lino cfr. infra apud *Honistetten*. — [4] cadus est mensura quaedam = nhd. Saum, in vulgari sermone = Som. — [5] padella frz. poële, nhd. = Pfanne. — [6] scudella frz. scutelle, écuelle, patena quaedam lignea = nhd. Schüssel. — [7] parapsis = gr. παροψίς. — [8] olla sync. ex orcula = Topf, frz. pot.

in natale Domini et L cacabos[1] et in festivitate S. Michaëlis item XII ollas et L cacabos et in pasca similiter. De *Tuttelingen* (Tuttlingen) similiter sicut de Emphingen. De tota *Para* (Bar) duo caldaria[2], unum majorem et unum minorem, excepto Wagingen duas naves, una major et una minor. De *Rodelingen* (Riedlingen Württemb.) et *Honistetten* (Honstetten) X haspae de lino, C casei, unum cadum mellis, LXX modios salis, XII cados de pinguedine; de pasca sancto usque in festivitatem S. Michaelis per singulas ebdomadas VI pondera lardi[3] dentur ei et cotidie XX panes librati et porrum sufficienter ad warmosium.[4] Ad warmosium, ut charitative preparetur, quatuor vaccae cellerario dentur, una de *Tuselingen,* secunda de *Altheim,* tertia de *Muleheim* (Mühlheim Württemb.) quarta de *Thettingen* (Dettingen). Hae autem vaccae in horto fratrum stabulentur et a cellerario bene procurentur. Quodsi harum vaccarum una moriatur, altera de eadem villa unde illa quae mortua est successit restituatur. Et cotidie warmosium fratribus tribuatur preter hos dies, quando pleno servitio eis serviatur. Et hoc ideo, si quis fratrum de tribus ferculis quae cotidie eis dantur propter infirmitatem stomachi non cibetur, saltim de quarto quod est warmosium pro lenitate cibi reficiatur. De *Stecheboron* (Steckborn) XL viri vinitores debent plantare porrum in horto fratrum unusquisque XII lineas et discipuli cellerarii debent XII spatia inponere et plantare. De portario debent VI spacia inponere, de hospitario VI spatia. De *Unlaingen* (Unlingen Württemb.) C caseos, X modios leguminum, unum cadum mellis, I ovem et V haspas de lino. De *Alteim* (Altheim Württemb.) similiter. De *Gecgingen* (Göggingen Württemb.) similiter.

[1] Cacabus aut utensile quoddam coquinae aut species quaedam avium nocturnarum = frz. hibou, Eule. Cfr. Ducange s. v. cacabus. — [2] caldarium = frz. chaudière, Kessel. — [3] lardum frz. lard, Speck. — [4] warmosius = pitantia, frz. pitance, Zugemüse.

De *Munehrdorf* (Mindersdorf) similiter. De *Oriente* (Oesterich) debent dare duas naves unam majorem et unam minorem et debent edificare IV domos piscatoribus. Et de *Para* (Bar) similiter. De *Longobardia*[1] XII modios castanearum, V soumas[2] olei. De reia curia[3] XL modios de favis, CCC caseos maiores. De camera abbatis unam minorem sagenam et duas naves. De *Almenesdorf* (Allmansdorf) XII haspas de canafo et unam navem. De *Uuolmotingen* (Wolmatingen) X haspas. De *Tettingen* X haspas. De *Uuolmotingen* et de *Tettingen* navem maiorem et in *Uuomoltingen* debent parari haspae, et de *Hagene* (Hegne) IV maltera frumenti ad haspas parandas. De *Almenesdorf* dentur XVII carradae[4] de virgis ad capiendos parvos pisces ad lohen.[5] De *Uuolmotingen* XII carradae palorum et de *Tettingen* XII ad octo loca piscalia exceptis beneficiis piscatorum et si inde aliquam fraudem fecisse culpantur, servili iudicio examinentur. Et cum sagena fratrum in superiori loco[6] est ad piscandum, piscatores primo mane vadant, ut pisces ad tempus mensae deferant et prandium a cellario accipiant. Unicuique autem piscatorum sagenam fratrum trahenti stoupus[7] vini si ita habunde crevit, ut possit dari, cum pane tribuatur; at si non crevit, steculus[8] cerevisiae gratanter ab eis suscipiatur. Cellerarius det sagenam ad capiendos pisces, qui dicuntur flores piscium, et duo piscatores imponant eam in aquam et duo agitent pisces per alveum reni et illis IV singulis unum calicem vini tribuat minister cellerarii. Et quotiens nuncius cellerarii venerit et eos agitare iusserit, statim parati sint. Et nemo sedeat

---

[1] Monasterium augiense habebat in Lombardia plures possessiones. Cfr. documentum donationis de anno 881 ap. Dümgé, Reg. Bad. p. 74. — [2] ut supra cadus. — [3] Dümgé subintellegit regia curtis. — [4] carrado = onus carri, quantum carro vehi potest. — [5] lohen ut infra locus piscalis. — [6] recte lacu. — [7] Stoupus = scyphus, calix. — [8] Steculus mensura quaedam liquidorum = poculum.

in illo loco Lohen nisi IV viri piscatores et quotiens minister a cellerario piscatoribus episcopi iusserit, parati sint ad piscandum propter utilitatem quam de nostro habent. Et quotiens a pasca ad Hagene in paludibus et in harundinetis locis illis IV piscatoribus piscari precipitur, parati sint cum navibus et aliis instrumentis piscalibus. Et post piscationem eant ad cellarium et accipiant prandium, et a natale Domini usque in pascha in singulis Dominicis veniant cum suis piscibus ad cellarium.

Hec omnia dicta cum senioribus nostris statuimus, cellerario singulis annis ut tribuantur, ut fratres per hec ab eo statuto tempore pleniter reficiantur. Ego *Sneuuartus* monachus et diaconus scribbsi et sigillo domni *Uualfredi* abbatis consignavi. Acta sunt hec Augia Kal. Sept. in nat. S. Verene virginis. Anno autem dominicae incarnationis DCCCXLIII. Feliciter amen.

IV.

Vita Walafridi ab Egone adumbrata.

(Pez, Thes. anecdott. noviss. T. I, 3, p. 638.)

Walafridus, de cuius ego familia nihil literis mandatum reperio, natus est anno 806 et quintum decimum annum agens in augiensium fratrum ab Hettone abbate relatus est album. In Augia magistris usus est duobus maxime praestantibus, Wettino nempe et Tattone, sub quibus ingenium suum ita excoluit, ut ferme quod disceret nihil ulterius superesse videretur; pietatem tamen et simplicem candidae mentis puritatem nunquam neglexit, etiam cum libris totus crederetur esse immersus. Tanta scripsit, docuit et dictavit, quanta in homine rudis eius saeculi omnem admirationem

exsuperent, praesertim in tantis laboribus et tam multis domesticae rei solicitudinibus. Nam 36 suae aetatis anno post Rudhelmum abbatem, cum ante magister esset, Augiae pastor et rector effectus est ad Christi annum 842. Quo certe ille munere spiritualia aeque ac temporalia curavit, hoc est utraque optime. Enimvero quod ad temporanearum rerum administrationem attinet, id ostendunt constitutiones eius, quas hac super se ordinavit.[1] De solicitudine eius in rebus spiritualibus superfluum est quid memorare, cum constet, eum qui sacro numine inspirante talia scripsit, non potuisse non practice exercere, quae docuit. Vixit brevi nimis tempore, longiori id est aeterna dignissimus, ad quam perrexit Augia septem annis sancte administrata. anno 849, 18. Aug. aetatis suae 43. anno.

[1] Cfr. supra no. III in append. pag. 106.

Index

rerum et personarum.

Abbates 100.
absida 16.
actio 64, 67 vid. *canon.*
aedes etymol. 15.
Aelia = Jerusalem 12.
Agnus Dei 68; agn. paschalis 44, 98.
Agatho papa 55.
Alexander I. papa 65.
Alexandrina ecclesia 75, 100.
alleluia 71.
altare, exordium 5; exstructio orientem versus 11; etymol. 16.
ambo 17.
Ambrosius 55, 75; hymni 76, 79.
amms 19.
analogium 17.
Anastasius I. pp. 60.
antiochen. ecclesia 77, 100.
antiphona 82,
aqua benedicta 97; aquae et vini mixtio 38.
ara 16.
arca 5.
archidiaconi 101.
archiepiscopi 100.
archipresbyteri 101.
Athanasius baptiz. 88.
atto 19.
Augustinus episc. 69, 75, 91.
Baptismus, praefig. 84; instit. 85; locus baptiz. 28, 85; praeparatio ad 104; unctio chrism. 85, 86; variae ceremoniae 87, 104; in nomine ss. trinitatis 87, 104; submersio simplex 90; triplex 90, 105; superfusio 91; b. infantium 91 sq. pro defunctis 93; mulieres baptizare prohibentur 88; patrini 93; dies baptismales 89; b. in epiphania 90.
Bartolomeus 94.
basilica 9; etymol. 16.
benedictio aquae 97; cerei 98; frugum 43; agni pasch. 44, 98.
Benedictus II. pp. 82.
Bonifacius IV. pp. 12.
Bonifacius apost. Germaniae 53, 72.

Caelestinus pp. 56.
caena domini 44 vid. *communio.*
Caligula imp. 8.
calix 71.
camera 17.
campanae 13.
cancelli 17.
canon 64, 67; nomina sanctorum in eo commemorata 65.

cantilenae 63; romanae in Franciam introd. 84.
cappellani 100.
Cassius episc. 50.
catechumenus 104.
Chrysostomus Ioh. 76.
chorepiscopi 101.
cimiterium 16.
Claudius taurin. episc. 22.
Clemens alexandr. 80.
cognatio spiritalis 93.
collectae 58.
communio, criminosi ab ea suspenduntur 41; ieiunis tantum concessa 45; quoties debet iterari 47 sq. utrum in omni missa 68; in caena domini 48; vid. *eucharistia.*
comparatio ordinum eccles. et secul. 99.
confirmatio 86; minister 86, 105.
concilia: agath. 26; arausic. 86; aurelian. 70, 96; bracar. 46, 73; caesaraugust. 69; carthag. 59, 86, 88, 89, 91; chalcedon. 100; eliberit. 87, 88; gerund. 89; hippon. 44, 59, 93; nicen. 62, 100; paris. 22; tolet. I. 69; III. 62; IV. 76, 77, 90, 98; XI. 69; XII. 69; sardic. 99; vasense 79; contra Pelagianos 92.
Constantini aedificia super sepulcrum domini 12; visio 24.
Constantin copronymus 22.
cultus diversitas 81.
crypta 16.

Damasus pp. 76; epist. 61, 70.
dalmatica 73.
decani 101.
decimae 94; in quatuor partes distrib. 95.
Deus in adiutorium meum int. 81.
diaconi 73, 101.
dies baptismales 89.
doxologia 78, 79, 89.

Ecclesia domus dei 9, 14, 28; exstr. versus orientem 11; unitas sanctorum 14; vid *templum.*
elemosinae pro missa fac. 53.
episcopi 100.
eucharistia vere est corpus et sanguis Christi 38, 39, 41, 43, 47, 68; a ieiunis tantum sumenda 45; euch. accipere et non sumere interdictum est 69; mortuis non dari 93; vid. *communio.*
Eutychianus pp. 43.
evangelium 60.
exedra 16.

Felix I. pp. 49.
Felix urgelitan. episc. 22, 62.
feriae 50, feria quinta 50.
Focas imp. 12.
Fullo Petrus 62.

Gelasius pp. 59, 76, 89.
geniculatio 74; Scoti ei insistunt praecipue 74.
Gennadius massil. 51.
gloria in excelsis deo 56, 71.
gothica versio sacrae script. 20.
Gregor M. 35, 49, 50, 59, 63, 66, 82, 83, 90, 95.
Gregor II. pp. 22.
Gregor III. pp. 22, 49, 67, 82.
Gregor turon. episc. 84.
gynaeceum 19.

Helena imp. 12.
Hieronymus, martyrol. 97; epist. ad Damas. 71; interpret. 84.
Hilarius pictav. 76.
horae canonicae 74; origo et increment. 75.
Hormisdas 82.
hymni, origo 76; anteculani 75; auctoritas 78.
hymnus angelicus 56, 62.
hymnus trium puerorum 62.

Iconoclasmus 22.
Ignatius antioch. 77.
imagines, veneratio 20 sq.
Innocentius I. pp. 68, 86.
introitus missae 56.
ieiunium ante sumptionem eucharistiae 45; certis diebus 50.
Iulian apostata 8.
iustificatio per fidem 39.
Iustina imper. 76.

Kelch 19, 71.
Kirche, nomen theotisc. etymol. 19.
Kyrie eleison 56.

Lacunaria 17.
laetaniae 56, 97; vid. *rogationes*.
lectio apostol. et evangel. 60.
Leo Isaur. 22.
Leo I. pp. 53, 66, 89.
Leo II. pp. 82.
Ludovicus pius 22.

Mamertus episc. 96.
martyria 16.
martyrologium 91, 97.
Melchiades pp. 50.
metropolitani 100.
missa, institutio 38; quando debet celebrari 48 sqq.; saepius eadem die 52; super memorias martyrum 49; in nativitate domini 53; in parasceve 54; hora celebrandi 70; ordo missae 54 sqq.; quis particeps sit fructuum 70; dimissio populi 70; „ite missa est“ 103; vid. *eucharistia*.
mulieres prohibentur baptizare 88

Nabuchodonosor 26.
nativitas domini 53.
Nesroch 6.
nolae vid. campanae.

Oblationes v. t. 37; n. t. 43 vid. *missa*.
offertorium 63.
orare versus orientem 10; qualiter sit orandum 29.
orarium 28, 73.
oratio 28; iustorum et peccatorum 31.
oratio dominica 48, 67.
oratorium 27, 29.
ordines primi 28; minores 101.
ordo missae eiusque partes 54 sqq.
ordo romanus ceteris excellentior 81, 83.
ostia 17.

Pagani 7.
pantheon 12.
papa romanus 99 sq.
parasceve 54.
patena 71, vitrea 72.
patriarcha 100.
patrini 93.
Paulinus aquilei. 78.
pax ante communionem 68.
Pelagius pp. 96.

pelagiani 92.
picturae, veneratio 20 sqq.
Plautus 15.
porticus 16.
praefatio 64.
presbyteri pleb. 101.
pulpitum 17.
psalmi, distrib. 82; interpretatio secund. LXX 84 vid. *horae canon.*

Quadragesima 50.

Religiones diversae 7.
responsoria 61.
rogatio maior die s. Marci 95; triduana ante ascensionem Domini 96.
romana ecclesia, servator fidei orthodoxae 55, 79, 83; ceteris eminentior 81, 83, 100.
Rufin 88.

Sacrarium 17.
sacrificium n. t. 38 vid. *missa* et *eucharistia.*
Sennacherib 6.
Sergius I. pp. 68, 82.
serpens aeneus 23.
Silvester pp. 51, 72, 73, 86.
Siricius pp. 89.
Stephanus I. pp. 73.
Stephanus III. pp. 84.
subdiaconi 101.
superstitio 44.
symbolum 61.
Symmachus pp. 58.

Tabernaculum Moysis 5; etymol. 15.
Telesphorus pp. 56, 70.
templum hierosolimit. 5; profanat. 8; exstruct. 11; etymol. 15; dedicatio 25; templa antechristiana 5; christiana 9; propter scelera diruta 32.
Theodosius imp. 75.
Thomitani 20.
Tiberius imp. 8.
todo et toda 19.
trisagion 57.

Urban I. pp. 72.

Vasa et vestes sacrae 71 sq.
Victor I. pp. 88.

Ymni vid. hymni.

Zephirinus pp. 72.
Zosimus pp. 98.

Typis W. Drugulin, Lipsiae.